MASTER NEGATIVE
NO. 93-81607-14

AUTHOR:

LUENEBURG, ALBERT

TITLE:

DE OVIDIO SUI IMITATORE

PLACE:

JENAE

DATE:

1888

Master Negative #

93-81607-14

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Lueneburg, Albert, 1863-
De Ovidio sui imitatore; dissertatio inauguralis philologica quam... publice defendet auctor Albertus Lueneburg... Jenae, Typis H. Pohle, [1888]
89 p. 22 cm.

Thesis, Königberg, 1888.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/23/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

WOLF

MAIN ENTRY: Lueneberg
De Ovidio sui imitatore

Bibliographic Irregularities in the Original Document

List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

_____ Page(s) missing/not available: ______________________

_____ Volumes(s) missing/not available: ______________________

✓ Illegible and/or damaged page(s): 23-62

_____ Page(s) or volumes(s) misnumbered: ______________________

_____ Bound out of sequence: ______________________

_____ Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: Best copy available

_____ Other: ______________________

BEST COPY
AVAILABLE

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6

DE OVIDIO SUI IMITATORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA ALBERTINA REGIOMONTANA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XII MENSIS JUNII A. MDCCCLXXXIIX HORA XII.
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ALBERTUS LUENEBURG
REGIOMONTANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
IOHANNES TOLKIEHN, STUD. PHIL.
IOHANNES RADTKE, STUD. PHIL.
H. T. S. S. R. PH.

JENAE
TYPIS H. POHLE.

DR. LUDOVICO JEEP

PROFESSORI OPTIME DE ME MERITO

SACRUM.

Nonnulli viri docti iamiam operam dederunt verborum sive sententiarum iterationibus, quae apud Ovidium inveniuntur, perscrutandis et recensendis, quorum imprimis Antonii Zingerlei, Geibelii, Eschenburgii mentionem facio. Danielem et Nicolaum Heinsium, Petrum Burmannum ceterosque Ovidii editores usque ad nostram aetatem in commentariis uno alterove loco unam alteramve sive unius verbi sive brevis cuiusdam sententiae iterationes contulisse nemo nescit, qua re breviter illud commemorasse satis est. Item hoc loco paucis nominandus est S. G. de Vriesii liber, qui inscribitur ‚Epistula Sapphus ad Phaonem apparatu critico instructa, commentario illustrata et Ovidio vindicata. Lugduni Batavorum 1885'. Nam in commentario inde a pagina tricesima sexta usque ad centesimam duodevicesimam auctor summa industria ad unum quemque epistulae versum omnes similes locos collegit, qui in reliquis Ovidii carminibus exstant, quo modo demonstrare conatur, artem metricam, genus dicendi, sententias, quae insunt in Sapphus epistula, minime a ceteris Ovidii carminibus distare. Similem rationem, ac usus est de Vriesius, Antonius Kunzius quoque secutus est in dissertatione, quae inscribitur ‚P. Ovidii Nasonis libellus de me-

dicamine faciei'. Vindobonae 1881. Contulit enim vir ille doctus in libelli altera parte (cf. p. 80—88) sub titulo ,Ovidii esse libellum de medicamine faciei' sicut Vriesius similes locos, qui et in reliquis libris et in libello de medicamine insunt, ut demonstraret, rationem loquendi in illis eandem esse adhibitam. Ad illos locos a Kunzio vel Vriesio collectos saepius infra revertendum erit. Sed iam paulo accuratius dicendum est de Antonii Zingerlei libro [1]), ne quis celerius iudicet, omnes locos, qui iterationes nominari possint, ab illo esse collectos. Nam ille vir doctus nihil aliud sibi proposuit nisi ut singulorum aut versuum aut verborum similitudines compararet, id quod ipse dixit in octava primae libri partis pagina [2]). Permultorum autem locorum, quos elegit, similitudo haud dubie necessaria, partim et latinae linguae et metri proprietate postulata et efficta est meoque arbitrio Ludovicus Jeepius rectissime exposuit, iterationes eiusmodi, quales pertinent ad singulos versus sive versuum partes, ad ingenium et rationem poetae cognoscendam nimis magni aestimare non licere [3]). Libro longius procedente ampliores quoque nonnullae Ovidii narrationes a Zingerleio tractantur [4]), sed eiusmodi loci non commemorantur, nisi similes res in aliis quoque Romanorum poetis leguntur. Id autem de parva tantum parte iterationum, quae apud Ovidium exstant, dici potest, qua re Ovidium sui imitatorem ex illis locis solis plane cognosci non posse per se patet.

1) Anton Zingerle, Ovid und sein Verhältniss zu den Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern. Innsbruck, Heft I—III, 1869—1872.

2) Zingerlei verba sunt haec: ,Ebenso beschränke ich mich nur auf gleichlautende Verse und Versausgänge, Phrasen u. dgl., ohne auf wiederholte Motive und Situationen, die ja ohnehin jedem Leser des Ovid bekannt genug sind, einzugehen'.

3) Claud. ed. L. Jeep. vol. II, praef. p. CXLVI.

4) Cf. l. c. I, p. 37—44 et 73—76.

Parvi autem pretii sunt et satis certa ratione carent ea, quae Geibelius [1]) collegit. Is enim summa quidem industria omnes locos contulit, quibus eadem verba ultimo versuum pede iterantur velut iterationes verborum ,si non' ,qui non' ,in me' ,nec me' ,ullus est' ,unda' (centum viginti loci enumerantur) permultaque alia huius generis. Sed haec hactenus. Multo pluris aestimanda sunt ea, quae scripsit Eschenburgius [2]), quia omnia, quae collegit, ad certam rationem redegit. Nam postquam priore in programmate [3]) artem metricam, quae inest in Heroidum epistulis, cum illa comparavit, quae in reliquis libris Ovidianis spectatur, altero illo libello genus dicendi perquisivit comprobare conatus, illud quoque tale esse, quale reliquis in libris invenitur. Omnes igitur viri docti, qui adhuc de iterationibus apud Ovidium egerunt, exceptis commentariis a Vriesio ad Sapphus epistulam et a Kunzio ad libellum de medicamine faciei compositis et paucis iis locis, de quibus Zingerleius iudicium fecit, similes tantum versus sivi versuum partes animadverterunt, quasi data opera neglexerunt, ut Zingerlei verbis utar, ,die wiederholten Motive und Situationen'. Tamen ad poetae et ingenium et rationem aestimandam imitationes, quae inveniuntur in descriptione rerum et in singulorum argumentorum conexu, summi momenti esse per se patet ob eamque causam eiusmodi imitationes colligere et recensere mihi proposui incitatus verbis, quae protulit Lehrsius in editionis Horatianae capite, quod inscribitur ,Die sogenannten

1) E. Geibel, Beiträge zur Beurteilung des Ovid. Programm des Gymnasium zu Hadersleben 1872.

2) Eschenburg, Wie hat Ovid einzelne Wörter und Wortklassen im Verse verwandt. Ein Beitrag zur Echtheitsfrage der Heroiden des Ovid. Programm des Katharineums zu Lübeck 1886.

3) Eschenburg, Metrische Untersuchungen über die Echtheit der Heroiden des Ovid. Programm des Katharineums zu Lübeck 1874.

Ovidischen Heroiden' p. CCLIV: ‚Möge auch ein iüngerer Mann uns einen ‚Ovidius sui imitator' geben, was er allerdings ist'.

Sed priusquam rem propositam tractare incipiam, nonnulla mihi praemittenda sunt. Inter omnes constat Ovidium permultas res ex antecedentibus Romanorum poetis hausisse et in carmina sua transtulisse. Quam rem magna ex parte in quaestionem vocavit Zingerleius in libro modo commemorato, sed nonnulla et imprimis ea, quae ad nostram rem spectant, reliquit. Quia enim Ovidius argumenta quoque, quae ab aliis mutuatus est, in carminibus suis componendis iterum ac saepius imitando effinxit, Ovidius sui imitator recte aestimari non potest nisi ea re diligenter explorata, num reliqui Romanorum poetae similia alicubi tractaverint et qualis ratio inter illos et Ovidium intercedat. Itaque in unaquaque re, quae non solum apud Ovidium, sed etiam apud unum aliumve antecedentium poetarum Romanorum descripta est, statim de illorum quoque locis agam.

Omnium imitationum, quas quidem colligere mihi proposui, duo genera exstant, quae argumentis valde inter se differunt. Alterum enim genus continet imitationes, quae spectant ad propria carminum argumenta, alterum fabulas e mythologia electas amplectitur, quae aut per se describuntur aut ad rerum, quas significavi, exornationem sive illustrationem carminibus elegiacis inseruntur. Quae cum ita sint, duo illa genera inter se diversa seiuncta describam. Deinde, quod ad rerum iterationes pertinet, ex libris Metamorphoseon et Fastorum perpauci tantum loci commemorandi erunt iique omnes sunt eiusmodi, ut facile possint reliquis adiungi, quam ob rem optimum mihi videtur rerum imitationes ex argumentis duas in partes secernere, quarum in altera de rebus amatoriis, in altera de rebus ad exilium spectantibus agitur.

I.

Imitationes ad rerum amatoriarum sive exilii descriptionem pertinentes colliguntur et inter se comparantur.

A. Imitationes, quae inveniuntur in rebus amatoriis describendis.

Primo loco propter rerum similitudinem contemplandi sunt loci Her. XV 215—256 [1]), Her. XVI 75—90, Am. I 4, 1—58, A. A. I 565—608. Omnibus illis locis enarrantur res, quae inter amantes fieri solent, si in convivio puellae praesente viro conveniunt. Et locis quidem Her. XV et XVI res inter Helenam et Paridem ante Menelai oculos gestae ita disseruntur, ut priore loco Paris id, quod ipse fecit, enuntiet, posteriore Helena Paridi respondens denuo de eisdem rebus verba faciat. Am. I 4, 1—58 Ovidius se ipsum cum puella convenientem describit, quarto denique loco, A. A. I 565—608, poeta cuilibet amatori praecipit, quid simili occasione oblata faciendum sit. Primum optime sibi respondent sententiae versuum Am. I 4, 1—6 et Her. XV 215—220, quia utroque loco amator queritur, quod sibi necesse sit puellae virum iis voluptatibus delectari videre, quae a se frustra expetantur. Deinde eadem res tractatur Her. XV 253—256, XVI 75—90, Am. I 4, 11—32, A. A. I 565—578: unoquoque enim loco agitur de occultis signis nutibusque, qualia amantes inter se dant. Res illis locis accurate explicatae breviter significantur loco quoque Fast. I 418 his verbis: Signaque dat nutu, sollicitatque

1) Sequor textum numerosque editionis a Merkelio a. 1877—1880 emissae.

notis. Denique de ebrietate, ut proterva verba libere pronuntiari possint, ab amatore simulata sive simulanda loquitur poeta Her. XV 245—246 et A. A. I 597—600. Quamquam igitur personae mutantur, quia modo de Paride, modo de poeta, modo de quolibet amante agitur, tamen res, quae a poeta proferuntur, vere easdem esse eumque, ut ita dicam, sui ipsius versus, quod et ad sententias et magna ex parte ad verba quoque pertinet, exscripsisse conspectus infra subiectus facile docebit, in quo singula illorum locorum conferuntur argumenta.

Her. XVI 79—80. Et modo suspiras, modo *pocula* proxima nobis
Sumis, quaque bibi, tu quoque *parte bibas.*

Am. I 4, 31—32. Quae tu reddideris, *ego primus pocula sumam,*
Et *qua tu biberis,* hac ego *parte bibam.*

A. A. I 575—576. Fac *primus* rapias illius tacta libellis
Pocula, quaque bibit parte puella, *bibas*[1]).

Am. I 4, 16. Ibis, ut accumbas, clam mihi *tange pedem.*
A. A. I 606. Velle latus digitis et pede *tange pedem.*

Her. XV 222. Membra *superiecta* cum tua *veste fovet.*
Am. I 4, 5. Alteriusque sinus apte *subiecta fovebis.*
Am. I 4, 48. *Veste* sub *iniecta* dulce peregit opus.

Her. XV 219—220. . . . . *lacertos*
Imponit collo rusticus ille *tuo.*
Am. I 4, 35. Nec premat *impositis* sinito *tua colla lacertis.*

1) Tres illos locos iamiam collegit Zingerleius l. c. I p. 93—94.

Re vera illis locis Ovidium se ipsum imitatum esse neque illas sententias ab aliis accepisse eo fit verisimile, quod nutus notaeque omnium priorum, quod sciam, poetarum carminum duobus tantum Tibullianis locis, I 2, 21—22 et I 6, 19—20 [1]), cum multis aliis amantium artificiis, quorum Ovidius nullum commemoravit, coniuncti breviter in transcursu significantur, cum Ovidius illa copiosa narratione amplificata quatuor locis iteravit [2]). Accedit, quod Tibulliani loci forma enuntiationis valde inter se distincti sunt, nam priore loco poeta Venerem artium illarum praeceptricem describit, altero autem queritur, se puellam suam artes fraudulentas docuisse et nunc ipsum illis decipi simulque illius maritum monet, ut se ab uxoris dolis caveat [3]), quarum sententiarum neutra apud Ovidium invenitur.

Sicut res, quae fiunt inter amantes in convivio convenientes, res amatoriae quoque, quae exercentur in circo, ab Ovidio semel iterumque describuntur. Cuiusmodi enarrationes inveniuntur duae, Am. III 2, 1—84 et A. A. I 133—164. Illo enim loco Ovidius se ipsum cum puella convenientem fingit, hoc in universum amantibus praecipit, quomodo se

1) Sequor textum numerosque editionis Luciani Muelleri, quae continet Catullum, Tibullum, Propertium.

2) Ovidium saepius id, quod alii elegiaci Romani breviter commemoraverunt, in totum carmen sive copiosam explicationem propagasse animadvertit Zingerl. I p. 87, 91, 94.

3) Cum duobus illis locis propter argumenti similitudinem quandam comparari possunt Tib. I 8, 55—60, II 1, 75—78, IV 6, 11—12, nam his quoque amantium artificia, sed omissis notis signisque enumerantur. Ac primo quidem loco se illa nosse demonstrat poeta, altero puellam Amore duce illa adhibentem describit, tertio Amorem orat, ut amantes dolis illis conducat. Quamquam igitur omnes illi loci aliquatenus similem materiam praebent, tamen cum Ovidianis imitationibus comparari non possunt, quia Tibullus modum et scribendi et inserendi ita variavit, ut conexus et sententiarum et verborum quoque loco aliter pergat.

gerant, si iis eadem, quae Ovidio ipsi, occasio praebeatur. Ovidius igitur illis locis easdem res duabus scribendi rationibus variavit eodem modo, quo locis antea commemoratis Am. I 4, 1—58 et A. A. I 565—608 de convivio egit. Nam, ut vidimus, Am. I 4, 1—58 ipse poeta cum puella convenit, A. A. I 565—608 explicat, quae amatoribus tali sub conditione facienda sint. Itaque Ovidius non modo eandem rem, sed etiam eandem descriptionis illius variandae rationem aliis locis et alia in re iteravit, id est: ipsum modum imitandi imitatus est. Quod autem ad singula argumenta attinet, illa prioris loci fere omnia eodem ordine altero loco iterantur exceptis illis versibus, qui priori loco illustrationis causa interpositi sunt, sicut Am. III 2, 15—18, quibus poeta se puellamque suam cum Hippodamia Pelopeque comparat, et v. 43—46, quibus deorum dearumque pompa copiose describitur, quae altero loco brevissime commemoratur (cf. A. A. I 147—148). Reliquas partes non modo argumentis, sed etiam verbis plane sibi respondere enumeratione singulorum distichorum demonstratur.

Am. III 2, 1—2. Non ego nobilium sedeo *studiosus* equorum:
Cui tamen *ipsa faves, vincat* ut ille, precor.

Am. III 2, 67. *Cui studeas,* video. *vincet, cui*cumque *favebis.*

A. A. I 145—146. Cuius equi veniant, facito, *studiose* requiras:
Nec mora, quisquis erit, *cui favet illa, fave.*

Am. III 2, 19. Quid frustra refugis? *cogit* nos *linea iungi.*

A. A. I 141. Et bene quod *cogit,* si nolis, *linea iungi.*

Am. III 2, 20. Haec in *lege loci commoda Circus habet.*

A. A. I 136. Multa capax populi *commoda Circus habet.*

A. A. I 141. Quod tibi tangenda est *lege* puella *loci.*

Am. III 2, 23—24. Tu quoque, qui spectas *post nos,* tua contrahe crura,
Si pudor est, rigido *nec preme terga genu.*

A. A. I 157—158. Respice praeterea, *post vos,* quicumque sedebit,
Ne premat opposito mollia *terga genu.*

Am. III 2, 25—26. Sed *nimium demissa iacent* tibi *pallia terra:*
Collige! . . . . . .

A. A. I 153—154. *Pallia* si *terra nimium demissa iacebunt,*
Collige . . . .

Am. III 2, 37—38. Vis tamen interea faciles arcessere *ventos,*
Quos faciet nostra *mota tabella* manu.

A. A. I 161. Profuit et tenui *ventos movisse tabella.*

Hic dicat quis, cum poeta causis, quas nescimus, commotus Artem Amatoriam componere suscipiat, facere eum non posse, quin nonnulla iam in Amoribus descripta denuo tractet ob eamque causam eiusmodi locos iterationes poetae voluntate factas haberi non debere. Licet sit verum. Tamen mea quidem sententia loci A. A. I 133—164 et I 565—608 imitationes ultro factae existimandae sunt. Nulla enim causa Ovidium cogere potuit, ut eandem rem duobus locis eodem modo proferret. Versibus autem, quos exscripsi, satis demonstratum puto, Ovidium non modo rem sententiasque, sed etiam verba locorum Am. I 4, 1—58 et III 2, 1—84

data opera iterasse, id est: illos locos imitatum esse. Quod autem ad rem ipsam pertinet, apud nullum prioris aetatis poetam Romanum ne minima quidem significatio argumenti invenitur, qua re verisimile fit Ovidium primum illud protulisse.

Idem dici potest de sententia, qua contenditur, amorem nullis impedimentis nutritum evanescere et illa quoque duobus locis copiose effingitur, Am. II 19, 1—36 et Am. III 4, 17—26. Quo conexu illi loci inter se coniuncti sint, facile cognosces distichis, quibus incipiunt quibusque concluduntur, inter se comparatis. Atque quasi argumentum priori narrationi proponitur versus

Am. II 19, 3. *Quod* licet, ingratum est. *quod* non licet, acrius urit.

et alterius loci initium ita se habet:

Am. III 4, 47. Nitimur in vetitum, semper *cupimus*que negata.

Ille locus concluditur versu

36: *Quod* sequitur, fugio. *quod* fugit, ipse sequor.

et hic finitur hoc modo:

Am. III 4, 25—26. Quidquid servatur, *cupimus* magis. ipsaque furem
Cura vocat. pauci, *quod sinit alter*, *amant*.

quocum comparandus est prioris loci alter versus

Am. II 19, 4. Ferreus est, si quis, *quod sinit alter, amat.*

In omnibus illis locis eandem sententiam inesse, etiamsi verba aliquatenus inter se discrepent, et carminum, quibus inserti sunt, rebus et ea quoque re demonstratur, quod utroque loco ad eadem argumenta illustranda eaedem fabulae Danaes et Ius adiunguntur (cf. Am. III 4, 19—22 et Am. II 19, 27—30), ita ut nemo dubitare possit, quin Ovidius in hac quoque re describenda sui imitator exstiterit. Summum

autem amoris impedimentum, quo amor maxime inflammatur, aemulus sive aemula est et de hoc irritamento Ovidius tribus locis ita disseruit, ut hic quoque illum se imitatum esse iudices. Atque sunt loci

Am. I 8, 95—96. Ne securus amet, *nullo rivale*, caveto:
Non bene, *si tollas* proelia, *durat amor*.

A. A. II 435—436. Sunt quibus ingrate timida indulgentia servit,
Et *si nulla* subest *aemula, languet amor*.

A. A. III 593—594. Postmodo *rivalem* partitaque foedera lecti
Sentiat. has artes *tolle, senescit amor*.

Loco modo prolato, A. A. II 435—436, Ovidius adiungit comparationem amoris cum igne versibus 439—444:

Ut levis absumptis paulatim viribus ignis
Ipsa latet, summo canet in igne cinis,
Sed tamen *exstinctas* admoto *sulpure flammas*
Invenit, et lumen quod fuit ante, redit:
Sic ubi pigra situ securaque pectora torpent,
Acribus est stimulis eliciendus amor.

Eadem comparatio iteratur

R. A. 731—734. *Ut* paene *exstinctum* cinerem si *sulpure* tangas
Vivet et e minimo maximus ignis erit,
Sic nisi vitaris quidquid renovabit amorem,
Flamma redardescet, quae modo nulla fuit.

Quod argumentum distichi R. A. 733—734 non plane idem est ac versuum A. A. II 443—444, conexus, cui inserti sunt illi loci, diversitate factum est: altero enim loco poeta docere vult, quo modo amator puellae amorem iamiam evanescentem denuo sibi excitare possit, altero loco pronuntiat, quid sit vitandum, ne amor iam suppressus renovetur. Quamquam igitur sententiae paulum inter se discrepant, tamen quia utroque loco ignis paene exstinctus et

denuo inflammatus cum illo, qui evanescens stimulis quibusdam redintegratur, amore comparatur, alterum alterius loci imitationem putavi [1]).

Eidem generi imitationum adnumerandi sunt loci Am. I 9, 1—32 et A. A. II 233—238. Utroque enim loco amor cum militia comparatur. Amor raro apud Tibullum [2]) Propertiumque [3]), saepissime apud Ovidium [4]) breviter militia et amator miles nominatur, sed copiosa comparatione amplificatur illa sententia apud Ovidium solum, de qua re Zingerleius nonnulla recte contulit [5]). Tamquam propositum totius loci continet versus.

Am. I 9, 1. *Militat* omnis amans et habet sua castra Cupido.

idque in sequentibus versibus ita explicatur, ut demonstratur v. 3—6: eandem aetatem et amatori et militi convenire, v. 7—8: utrumque pervigilare ante fores, alterum ducis, alterum dominae, v. 9—16: utrumque longas vias ire et frigus noctis perferre debere, v. 17—18: alterius inimicum hostem, alterius aemulum esse, v. 19—20: alterum urbes, alterum limen puellae obsidere, v. 21—28: alterum custodem, alterum vigilum catervas clam praeterire debere.

---

1) Egit de illis locis Ovidianis Washietl in libro, qui inscribitur ‚De similitudinibus imaginibusque Ovidianis'. Vindobonae 1883 p. 109 contenditque Ovidium illam comparationem sumpsisse ex Lucretii loco IV 925 sqq. At primum res, quae ignis exemplo illustratur, non ille apud Ovidium commemoratus amor sed ‚anima somno perturbata' est, deinde apud Ovidium causa et ignis et amoris renovati nominatur, cum apud Lucretium causae non significantur, sed et anima et ignis ex se ipso renovatur. Quam ob rem Washietli sententiam falsam puto.

2) Cf. Tib. I 1, 75.

3) Cf. Prop. III.

4) Cf. Ov. Her. VII 32, Am. II 9, 3—4, II 12, 13, A. A. I 36, III 565; Her. XVI 256, Am. II 12, 27—28, A. A II 674.

5) Cf. Zingerl. l. c. I p. 90, 91.

Denique deo belli et dea amoris, Marte et Venere, inter se comparatis tota explicatio concluditur

v. 31—32. Ergo *desidiam*, quicumque vocabat amorem,
Desinat. ingenii est experientis amor.

Alterius autem loci propositum,

A. A. II 233. *Militiae* species amor est — discedite segnes:
Non sunt haec timidis signa tuenda viris.

prioris loci et proposito et conclusioni optime respondet versusque, qui secuntur,

235—238: Nox et hiems longaeque viae saevique dolores,
Mollibus his castris et labor omnis inest.
Saepe feres imbrem caelesti nube solutum,
Frigidus et nuda saepe iacebis humo.

eosdem labores, qui priore loco multis verbis enumerantur, breviter complectuntur ita, ut res plane eadem sit, quare hic quoque locus dignus mihi videtur, qui inter imitationes referatur.

Iam progrediar ad contemplanda carmina Am. II 5, 1—33 et Am. III 14, quae propter argumentorum similitudinem paulo accuratius inter se comparanda putavi. Atque prioris carminis initio Ovidius explicavit, vitam sibi invisam propter manifestam amicae infidelitatem, v. 5—8 valde se dolere dicit, quod illa tam perspicua sit, ut negari non possit, deinde v. 9—12 illum felicem praedicat, qui verbis puellae infitiantis confidere possit: se autem illius crimen vidisse (cf. v. 13—33). Alterius carminis, Am. III 14, initio Ovidius a puella id unum poscit, ut amatorem de infidelitate sua celare temptet. Deinde vitam culpae confessione tristiorem sibi redditam esse contendit (cf. v. 31—42), denique puellam denuo rogat, ut semper turpia facta negare studeat (cf. v. 43—50). Quamquam igitur, ut ex enumeratione argumentorum quivis cognoscere potest, illa aliqua

tantum ex parte consentiunt, tamen versus illos praetermittendos non putavi propter iteratam nonnullorum versuum formam enunciationis, quod apparet comparatis versibus Am. II 5, 3. Vota *mori* mea sunt, cum te *peccasse* recordor.
et Am. III 14, 37. Mens abit et *morior*, quotiens *peccasse* fateris.

Am. II 5, 10. Cui sua *,non feci' dicere* amica potest
et Am. III 14, 48. Sit modo *,non feci' dicere* lingua memor.
Cum versibus Am. III 14, 43—46:

Si tamen in media deprensa tenebere culpa,
Et fuerint oculis probra videnda meis,
Quae *bene* visa mihi fuerint, bene visa *negato:*
Concedent verbis lumina nostra tuis.

propter argumenti similitudinem comparandi sunt loci
Am. III 2, 57—58. Viderit ipse licet, credet *tamen* ille *neganti*
Damnabitque oculos et sibi verba dabit.
A. A. II 409—410. Quae *bene* celaris, si qua *tamen* acta patebunt,
Illa licet pateant, tu *tamen* usque *nega.*

Quae si perlegeris, te mihi concessurum spero omnes illos locos et argumentis et forma optime inter se cohaerere ob eamque causam non sine aliqua ratione imitationibus a me adnumeratos esse. Breviter hoc loco quoque moneam, sententias, quae in locis modo commemoratis insunt, quod sciam, apud Ovidium solum neque apud prioris aetatis poetas Romanos inveniri.

In transcursu breviter commemoro versus Med. Fac. 43—50 et A. A. II 107—120, quos recte inter se comparavit Antonius Kunzius in libri antea descripti pagina 86, quia utroque loco de amore non corporis pulchritudine, sed

ingenio morumque probitate longum in tempus servato agitur.

Locis quoque Her. X 51—56 et [XV] 143—150 eadem res describitur, id quod primus animadvertit de Vriesius l. c. p. 88, nam utroque loco femina a coniuge relicta simili modo de fortuna sua queritur.

Sub finem huius partis nonnullorum locorum mentionem facio, qui, quamquam multo minoris momenti, quam adhuc nominati sunt, tamen neglegendi non videbantur, qua re illos subieci.

Her. [XV] 157—158. *Est* nitidus vitreoque magis perlucidus amnis
Fons sacer: hunc multi *numen habere* putant.
Am. III 1, 1—2. *Stat vetus* et multos incaedua silva per annos.
Credibile est illo *numen inesse loco.*
Am. III 13, 17—18. *Stat vetus* et densa praenubilus arbore *lucus,*
Aspice! concedas *lumen inesse loco*[1]).

Idem argumentum in carminibus posterioris quoque aetatis duobus locis legitur, quos adiungere mihi liceat.

Fast. III 295—296. *Lucus* Aventino suberat niger ilicis umbra,
Quo posses viso dicere *,numen inest'!*
Fast. V 673—674. *Est* aqua Mercurii portae vicina Capenae:
Si iuvat expertis credere, *numen habet.*

Am. III 6, 69—70. *Ter* molita *fugam ter* ad altas restitit undas,
Currenti vires eripiente *metu.*
A. A. I 552. *Terque fugam* petiit *terque* retenta *metu* est.

1) Tres istos locos collegit de Vriesius l. c. p. 95.

A. A. II 12. *Arte* mea capta est. *arte* tenenda mea est.
A. A. III 43. Defuit *ars* vobis! *arte* perennat amor.

Iam ad illos locos tractandos accedamus, quibus similes apud reliquos quoque poetas priores inveniuntur. Cui consilio maxime Zingerleius profuit, qui in tribus libri sui particulis maximum illorum locorum numerum congessit, neque vero eo ordine et ea ratione usus, quibus nunc nobis opus est. Ille enim sibi proposuerat demonstrare, quatenus Ovidius res totius poesis Romanae iteraverit, equidem explorare volo, quantum Ovidius etiam in rebus ab aliis acceptis se ipsum imitatus sit.

Inter omnes constat, poetas veteres et Graecorum et Romanorum artis magicae saepe mentionem fecisse [1]. Imprimis autem hic usus occurrit in elegiacis poetis Romanis multoque saepissime in Ovidii carminibus elegiacis. Quia igitur meum est, eiusmodi locos et cum illis reliquorum elegiacorum et inter se comparare, primo loco enumerem Tibulli versus

I 2, 43—52: Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi,
Fluminis haec rapidi carmine vertit *iter*,
Haec cantu finditque solum manesque sepulcris
Elicit et tepido devocat ossa rogo:
Iam tenet infernas magico stridore catervas,
Iam iubet adspersas lacte referre pedem.
Cum libet, aestivo convocat orbe nives.
Sola tenere malas Medeae dicitur herbas.
Sola feros Hecatae perdomuisse canes.

I 8, 19—22: Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
Cantus et iratae detinet anguis *iter*,

---

1) Nonnulla de hac re protulit Zingerleius l. c. I p. 75 not. 1.

Cantus et e curru Lunam detrahere temptat,
Et faceret, si non aera repulsa sonent.

Propertius de similibus rebus loquitur locis, qui secuntur.

I 1, 19—24. At vos, deductae quibus est fiducia *lunae*
Et labor in magicis astra piare focis,
En agedum dominae mentem convertite nostrae
Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis et sidera et amnes
Posse Cytaines ducere carminibus.

V 5, 9—13. *Illa* velit, poterit magnes non ducere ferrum
Et volucris nitidis esse noverca suis.
Quippe et, Collinas ad fossam moverat herbas,
Stantia currenti diluerentur aqua,
Audax cantatae leges imponere *lunae.*

Ovidius arti magicae describendae operam dedit locis, quos subieci.

Her. VI 83—92. . . . . sed *carmina novit* [1]),
Diraque cantata pabula falce metit.
Illa reluctantem cursu *deducere Lunam*
Nititur et tenebris abdere *Solis equos.*
Illa refrenat *aquas* obliquaque flumina sistit,
Illa loco *silvas vivaque saxa movet.*
Per tumulos errat passis disiuncta capillis
Certaque de tepidis colligit ossa rogis.
Devovet absentis simulacraque *cerea fingit,*
Et miserum *tenuis in iecur egit acus,*
Et quae nescierim melius.

Am. I 8, 5—12. *Illa* magas artes Aeaeaque *carmina novit,*
Inque caput liquidas arte *recurvat aquas,*

---

1) Qua causa commotus sit Zingerleius, ut versus Her. VI 83—84, 89—92, itemque Am. I 8, 7—8 (cf. l. c. p. 74) omitteret, equidem cognoscere non possum, quia illi ipsi versus optime quadrant ad Ovidii rationem illustrandam.

Scit bene, quid *gramen*, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat *virus amantis equae.*
Cum voluit, toto glomerantur *nubila* caelo:
Cum voluit, puro fulget in orbe dies.
Sanguine, si qua fides, stellantia sidera vidi,
Purpureusque *Lunae sanguine* vultus erat.

v. 17—18. Evocat antiquis proavos atavosque *sepulchris*
Et solidam longo *carmine findit humum.*

Am. II 1, 23—26. *Carmina sanguineae deducunt cornua lunae,*
Et revocant niveos *Solis* euntis *equos.*
Carmine dissiliunt abruptis *faucibus* angues
Inque suos fontes versa *recurrit aqua.*

Am. III 7, 29—34. Sagave poenicea *defixit* nomina *cera,*
Et medium tenuis in iecur egit acus?
Carmine laesa ceres sterilem vanescit in herbam.
Deficiunt laesi *carmine fontis aquae.*
Ilicibus glandes cantataque vitibus uva
Decidit, et nullo poma movente fluunt.

Rem. A. 253—256. Me duce non tumulo prodire iubebitur umbra,
Non anus infami *carmine rumpit humum,*
Non seges ex aliis alios transnabit in agros
Nec subito Phoebi *pallidus* orbis erit.

A. A. II 99—102. Fallitur, Haemonias si quis decurrit ad artes,
Datque, quod a teneri fronte revellit equi.
Non facient, ut vivat amor, Medeides herbae
Mixtaque cum magicis naenia *Marsa* sonis.

Med. Fac. 35—42. Sic potius nos uret amor, quam fortibus herbis,
Quas maga terribili subsecat arte manus,

Nec vos *graminibus*, nec mixto credite succo,
Nec temptate nocens *virus amantis equae.*
Nec mediae *Marsis finduntur cantibus angues*
Nec *redit in fontes* unda supina *suos.*
Et quamvis aliquis *Temeseia moverat aera,*
Nunquam *Luna* suis excutietur *equis.*

Non modo in elegiacis carminibus Ovidius illud argumentum sibi tractandum sumpsit, sed etiam in epico genere poesis easdem res eodem modo descripsit, id quod apparet ex duobus locis.

Met. VII 199—209. Quorum ope, cum volui, ripis mirantibus amnes
In fontes rediere suos, concussaque *sisto,*
Stantia concutio *cantu* freta, *nubila* pello
Nubilaque induco, ventos abigoque vocoque.
Vipereas *rumpo* verbis et *carmine fauces*
Vivaque saxa sua convulsaque robora terra
Et *silvas moveo*, iubeoque tremescere montes,
Et mugire solum manesque exire *sepulchris.*
Te quoque, *Luna,* traho, quamvis *Temesaea* labores
Aera tuos minuant: currus quoque *carmine* nostro
Pallet avi, pallet nostris Aurora venenis.

Met. XII 263—264. Mater erat Mycale, quam *deduxisse* canendo
Saepe *reluctanti* constabat *cornua lunae.*

Ex illa enumeratione optime cognoscitur, quomodo ars scribendi Ovidii differat ab reliquorum elegiacorum Romanorum ratione. Quam rem perquirere Zingerleius omisit, quamquam iustum iudicium de ratione, quae intercedit inter elegiacos, illa re neglecta fieri non potest. Etiamsi, quod ad formam enunciationis pertinet, Her. VI 90 cum Tib. I 2, 46, Am. I 8, 18 cum Tib. I 2, 45; denique Her. VI 85 et Am. II 1, 23 cum Prop. I 1, 19 comparari possunt, quia illi loci aliquatenus consentiunt, illae similitudines non magni momenti sunt, nam multo maiore parte omnium locorum, quos composui, consuetudo Ovidiana plane discrepat cum Tibulliano et Propertiano more loquendi. Accedit, quod Tibullus et Propertius rem quidem occasione data protulerunt, sed ita ut uterque et singulas sententias et earum conexum et loquendi formam plane variaverit et iterationes dedita opera evitaverit. At Ovidius eadem argumenta multo saepius quam reliqui poetae tractavit, neque ullam operam aut sententiis aut verbis variandis dedit, sed omnia fere, quae huc spectant, eadem forma, qua ea semel expresserat, reliquis locis repetivit, ita ut nemo negare possit, Ovidium hac in re describenda se sui imitatorem praebuisse, id quod de prioribus poetis elegiacis minime dici potest.

Fere eodem modo rem se habere cognosces, si eos locos Ovidianos, quibus exponitur: voluptatibus vitae utendum esse, cui argumento plerumque adiungitur alterum, quo declaratur: mortem venire celeriter, comparaveris cum Catullianis Tibullianis Propertianisque, qui idem continent. Atque apud Catullum unum tantum eiusmodi locum inveni, dico quinti illius celeberrimi carminis initium,

v. 1. Vivamus, mea Lesbia, atque amemus.
et v. 3—6. Soles occidere et redire possunt:
Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

Tibulliana disticha nominanda sunt duo:

I 6, 69—70. Interea, dum fata sinunt, iungamus amores.
Iam veniet tenebris mors adoperta caput.
I 8, 47—48. At tu, dum primi floret tibi temporis aetas,
Utere: non tardo labitur illa pede.

In Propertio sicut in Catullo exstat unus locus:

III 7, 23—24. Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore [1]:
Nox tibi longa venit nec reditura dies.

Ovidii locorum primos commemoro

Her. [XV] 21. *Est in te facies, sunt apti lusibus anni.*
et Am. II 3, 13—14. *Est in te facies, sunt apti lusibus anni:*
Indigna est pigro forma perire situ.

quos de Vriesius protulit l. c. p. 46 adiecitque versus

Am. I 8, 33. *Est etiam facies,* quae etc.
et Rem. A. 23—24. Et puer es, nec te quicquam nisi *ludere oportet.*
Lude!

Praeterea nominandi sunt versus

Am. I 8, 49—50. *Labitur occulte fallitque* volubilis *aetas*
Ut celer admissis labitur amnis *aquis.*
A. A. III 61—64. Dum licet et veros etiam nunc editis annos
Ludite. eunt anni more fluentis *aquae.*
Nec quae praeteriit, iterum revocabitur unda
Nec qui praeteriit, hora redire potest.

Denique duo similes loci in carminibus posterioris aetatis quoque reperiuntur:

Met. X 519—520. *Labitur occulte fallitque* volatilis *aetas,*
Et nihil est annis velocius.
et Fast. V 356. Et monet aetatis specie, dum floreat, uti.

Locum A. A. III 61—64, quamquam, quod ad verba pertinet,

1) Propertium Tibullum imitatum esse demonstratur comparatione versuum Tib. I 6, 69 et Prop. III 7, 23.

Ex illa enumeratione optime cognoscitur, quomodo ars scribendi Ovidii differat ab reliquorum elegiacorum Romanorum ratione. Quam rem perquirere Zingerleius omisit, quamquam iustum iudicium de ratione, quae intercedit inter elegiacos, illa re neglecta fieri non potest. Etiamsi, quod ad formam enunciationis pertinet, Her. VI 90 cum Tib. I 2, 46, Am. I 8, 18 cum Tib. I 2, 45; denique Her. VI 85 et Am. II 1, 23 cum Prop. I 1, 19 comparari possunt, quia illi loci aliquatenus consentiunt, illae similitudines non magni momenti sunt, nam multo maiore parte omnium locorum, quos composui, consuetudo Ovidiana plane discrepat cum Tibulliano et Propertiano more loquendi. Accedit, quod Tibullus et Propertius rem quidem occasione data protulerunt, sed ita ut uterque et singulas sententias et earum conexum et loquendi formam plane variaverit et iterationes dedita opera evitaverit. At Ovidius eadem argumenta multo saepius quam reliqui poetae tractavit, neque ullam operam aut sententiis aut verbis variandis dedit, sed omnia fere, quae huc spectant, eadem forma, qua ea semel expresserat, reliquis locis repetivit, ita ut nemo negare possit, Ovidium hac in re describenda se sui imitatorem praebuisse, id quod de prioribus poetis elegiacis minime dici potest.

Fere eodem modo rem se habere cognosces, si eos locos Ovidianos, quibus exponitur: voluptatibus vitae utendum esse, cui argumento plerumque adiungitur alterum, quo declaratur: mortem venire celeriter, comparaveris cum Catullianis Tibullianis Propertianisque, qui idem continent. Atque apud Catullum unum tantum eiusmodi locum inveni, dico quinti illius celeberrimi carminis initium,

v. 1. Vivamus, mea Lesbia, atque amemus.
et v. 3—6. Soles occidere et redire possunt:
Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

Tibulliana disticha nominanda sunt duo:

I 6, 69—70. Interea, dum fata sinunt, iungamus amores.
Iam veniet tenebris mors adoperta caput.
I 8, 47—48. At tu, dum primi floret tibi temporis aetas,
Utere: non tardo labitur illa pede.

In Propertio sicut in Catullo exstat unus locus:

III 7, 23—24. Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore[1]):
Nox tibi longa venit nec reditura dies.

Ovidii locorum primos commemoro

Her. [XV] 21. *Est in te facies, sunt apti lusibus anni.*
et Am. II 3, 13—14. *Est in te facies, sunt apti lusibus anni:*
Indigna est pigro forma perire situ.

quos de Vriesius protulit l. c. p. 46 adiecitque versus

Am. I 8, 33. *Est etiam facies,* quae etc.
et Rem. A. 23—24. Et puer es, nec te quicquam nisi *ludere oportet.*
Lude!

Praeterea nominandi sunt versus

Am. I 8, 49—50. *Labitur occulte fallitque* volubilis *aetas*
Ut celer admissis labitur amnis *aquis.*
A. A. III 61—64. Dum licet et veros etiam nunc editis annos
Ludite. eunt anni more fluentis *aquae.*
Nec quae praeteriit, iterum revocabitur unda
Nec qui praeteriit, hora redire potest.

Denique duo similes loci in carminibus posterioris aetatis quoque reperiuntur:

Met. X 519—520. *Labitur occulte fallitque* volatilis *aetas,*
Et nihil est annis velocius.
et Fast. V 356. Et monet aetatis specie, dum floreat, uti.

Locum A. A. III 61—64, quamquam, quod ad verba pertinet,

1) Propertium Tibullum imitatum esse demonstratur comparatione versuum Tib. I 6, 69 et Prop. III 7, 23.

cum reliquis locis paululum cohaeret, tamen non neglegendum putavi, quia in illo eadem comparatio aetatis et fluentis aquae exstat, quae invenitur loco quoque Am. I 8, 49—50, ita ut Ovidius sui imitator illa quoque re demonstretur. Cunctos illos locos, quos contuli, Zingerleius omisit, quamquam ad rationem, quae inter Ovidium reliquosque elegiacos intercedit, recte aestimandam eos haud parvi momenti esse per se patet, quia unusquisque ex illis cognoscere potest, rem Ovidium ab aliis in sua carmina transtulisse, ad sui ipsius imitatorem, quod imprimis ad loquendi consuetudinem spectat, Ovidium solum neque ullum reliquorum poetarum factum esse.

Item apud unumquemque elegiae Romanae poetam invenitur, ut Zingerleius recte exposuit, ‚das Bild vom Davontragen des Windes und der Welle zur Bezeichnung alles Unbeständigen, Ungiltigen, Vergeblichen und ganz besonders zum Ausdruck nicht gehaltener Versprechungen‘. Apud Catullum exstant illius generis sententiae locis:

30, 9—10. Idem nunc retrahis te ac tua dicta omnia factaque
Ventos irrita ferre ac nebulas *aerias* sinis
64, 59. *Irrita* ventosae linquens promissa procellae.
64, 142. Quae (sc. conubia) cuncta *aerii* discerpunt *irrita venti.*
70, 3—4. Dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento et rapida scribere oportet aqua.

In Tibullo insunt loci, qui secuntur:

I 4, 21—22. Nec iurare time. Veneris periuria venti
Irrita per terras et freta longa ferunt.
I 5, 35—36. . . . . quae nunc Eurusque Notusque
Iactat odoratos vota per Armenios.
IV 4, 7—8. . . . . et quidquid triste timemus,
In pelagus rapidis evehat amnis aquis.

Similes sententiae leguntur his locis Propertianis:

I 6, 34. At mea nocturno *verba* cadunt Zephyro.
III 24, 8. Quidquid iuraverunt, ventus et unda *rapit.*
V 7, 21—22. . . . . cuius fallacia *verba*
Non audituri *diripuere* noti.

Denique apud Lygdamum, qui a plurimis viris doctis tertii Tibulliani libri auctor optimo iure existimatur, nonnulli loci occurrunt, qui hoc loco neglegi non possunt:

4, 95—96. Haec deus in melius crudelia somnia vertat
Et iubeat tepidos *irrita ferre* notos
6, 49—50. Nulla fides inerit: periuria ridet amantum
Juppiter et ventos *irrita ferre* iubet.
6, 27—28. Quid precor a demens? venti temeraria vota,
Aeriae et nubes diripienda *ferant.*

Cum illis comparandi sunt hi loci Ovidiani:

Her. II 25. Demophoon, *ventis et verba et vela* dedisti.
Her. VII 8. Atque idem *venti vela* fidemque *ferant?*
Her. XIII 92. Fac meus *in ventos* hic timor omnis *eat.*
Her. [XV] 208—209. An riget et zephyri *verba caduca ferunt?*
Qui mea *verba ferunt,* vellem *tua vela* referrent.
Am. I 4, 11. . . . . nec euris
Da mea nec *tepidis verba ferenda notis.*
Am. I 8, 106. Nec *tulerint* voces *ventus* et aura meas.
Am. II 6, 44. *Vota* procelloso *per mare* rapta *noto?*
Am. II 8, 19. Tu dea, tu iubeas animi *periuria* puri
Carpathium *tepidos per mare ferre notos.*
Am. II 11, 33. At si vana *ferunt* volucres *mea dicta* procellae.
Am. II 16, 45. *Verba* puellarum, *foliis* leviora *caducis,*
Irrita, qua visum est, *ventus et unda ferunt.*
A. A. I 388. Nec *mea dicta* rapax *per mare ventus* agit.

A. A. I 633. Juppiter ex alto *periuria* ridet amantum
Et iubet Aeolios *irrita ferre notos.*

Eadem sententia nonnullis quoque posterioris aetatis carminum locis ita iteratur, ut verbis optime respondeant prioribus, quod apparet quatuor ex locis:

Trist. I 2, 15—19. Terribilisque *notus* iactat *mea dicta,* precesque
Ad quos mittuntur non sinit ire deos.
Ergo *idem venti,* ne causa laedar in una,
Velaque nescio quo *votaque* nostra *ferunt.*

Trist. I 8, 35. Cunctane *in* aequoreos *abierunt irrita ventos.*

Fast. V 686. *Abstulerint* celeres improba *dicta noti.*

Met. VIII 134—135. . . . . an inania *venti*
Verba ferunt idemque tuas, ingrate, carinas? [1])

quorum proximus, quamquam etiam alteri poesis generi adnumerandus est ac reliqui, tamen artissime cum illis cohaeret. Locis modo collatis fortasse credideris meam sententiam labefactatam esse, quam protuli de diversa scribendi ratione qualem adhibuerunt aut Ovidius aut reliqui elegiaci Romani. Quod ad locos illos exscriptos pertinet, primo conspectu re aliter se habere videtur atque omnibus illis locis adhuc tractatis, quibus eadem argumenta et ab reliquis elegiacis et ab Ovidio descripta invenimus. Nam ut unusquisque perspicere potest, non solum Ovidius sicut prioribus locis, sed etiam et Catullus et Propertius et Lygdamus sua ipsorum verba aliquatenus iteraverunt, ita ut se ipsos imitati esse videantur. Sed si res accuratius perquiritur, concedendum est, in usitatissimo argumento describendo perpaucorum verborum sicut

1) Similes imagines Graecorum poetas et prioris et posterioris aetatis saepius protulisse demonstravit Mallet, Quaest. Propert. p. 20.

imprimis vocis illius ‚venti irrita ferunt‘ iterationes haud magni momenti esse posse, praesertim cum ceteris in rebus Ovidius unus sui imitatorem se praebuerit, quia nonnullas verborum coniunctiones, exempli causa ‚tepidi noti‘ (cf. Am. I 4, 12, II 8, 20), ‚verba et vela‘ sive ‚verba cum velis‘ (cf. Her. II 25, [XV] 209, R. A. 286), ‚per mare‘ (cf. Am. II 6, 44, II 8, 20, A. A. I 388) primus protulit easdemque compluribus locis iteravit. Denique praetermittendum non est, Ovidium unam eandemque rem, quam reliqui tribus vel plurimum quatuor locis commemoraverunt, septemdecim locis iterasse, ita ut consuetudo Ovidiana, quod ad hoc quoque argumentum pertinet, ab illa reliquorum elegiacorum aliquantum diversa sit.

Fine huius partis breviter commemoro Tibullianum locum:
I 6, 10. Heu heu, nunc premor arte mea.
qui, quod ad sententiam attinet, redintegratur quatuor locis Ovidianis infra adiectis:

Am. I 4, 46. Exemplique metu *torqueor ecce mei.*

Am. II 18, 20. *Ei mihi!* praeceptis urgeor *ipse meis.*

Am. II 19, 34. *Ei mihi!* ne monitis *torqueor ipse meis.*

A. A. III 590. Nec dubito, telis quin petar *ipse meis.*

Omnibus locis, quos hac in particula contulimus, optime demonstratur rationem scribendi Ovidianam plane ab illa reliquorum elegiacorum distinctam esse. Nam perpaucis locis exceptis (cf. Cat. 30, 9—10, 64, 59 et 142, Prop. III 24, 8, V 7, 21—22, Lygd. 4, 95—96, 6, 49—50) Catullus Tibullus Propertius Lygdamus summa opera studuerunt, ut in similibus rebus describendis et sententiis et eloquendi forma variatis iterationem evitarent, at Ovidius unas easdemque res ex illorum libris sumptas non modo multo saepius tractavit quam illi, sed etiam rationem scribendi semel adhibitam omnibus locis servavit eoque modo sui imitator exstitit.

B. De rebus ad exilium pertinentibus.

Optimum quaestionis initium praebet primum primi Tristium libri carmen. Nam in illo poeta se ipsum librum suum adloquentem depingit et dilucide, quo consilio librum scripserit quemque in locum illum mittere sibi proposuerit, ipse demonstrat aliaque de specie habituque et materia illius adiungit. Unam alteramve omnium sententiarum, quas illo in carmine cunctas conseruit, uno altcrove loco reliquorum carminum solam per se iteratam invenimus. Qua re sententias, quae in illo insunt, deinceps enumerabo locosque, quibus singulae iterantur, illi enarrationi statim inseram. Ac primum quidem distichon

Trist. I 1, 1—2. Parve, nec invideo, *sine me* liber ibis in urbem.
Ei mihi, quod domino *non licet* ire tuo.

comparandum est cum eiusdem carminis versibus

57—58. I tamen et *pro me tu, cui licet, aspice Romam.*
Di facerent, possem nunc meus esse liber.

et Trist. V 4, 3—4. Qui mihi flens dixit: *‚Tu, cui licet, aspice Romam!‘*
Heu quanto melior sors tua sorte mea est.

Fere idem versus redintegratur

Fast. IV 520. *‚Heu! melior quanto sors tua sorte mea est!‘*

Tres illi loci easdem sententias persimili verborum conexu pronuntiant et non nisi enuntiationis ratione inter se differunt, quia primo et altero poeta librum adloquitur, tertio liber ipse poetae verba reddit. Deinde poeta in primi carminis versibus 3—14 speciem habitumque libri sui describit similisque descriptio iteratur loco Trist. III 1, 9—16. Quam

arte hi loci inter se coniuncti sint, ea re cognoscitur, quod uterque eadem sententia concluditur hoc modo:

Trist. I 1, 13—14. Neve *liturarum* pudeat. qui viderit illas,
De *lacrimis factas* sentiet esse meis.

Trist. III 1, 15—16. Littera suffusas quod habet maculosa *lituras,*
Laesit opus *lacrimis* ipse poeta suum.

Duo illa disticha composuit de Vriesius l. c. p. 77—78 comparavitque cum versibus

Her. [XV] 97—98. Scribimus et *lacrimis* oculi rorantur obortis.
Aspice, quam sit in hoc multa *litura* loco.

Eiusmodi sententiam invenit Zingerleius apud Propertium quoque:

V 3, 3—4. Haec erit *a lacrimis facta litura meis*

recteque illum locum composuit cum versu Ovidii

Her. III 3. Quascumque aspicies, *lacrimae fecere lituras.*

ita ut verisimile fiat, Ovidium illud argumentum ex Propertio sua in carmina transtulisse. Hoc exemplo denuo demonstratur, Ovidium modum excedere solere, quia rem ab alio semel prolatam quatuor locis iterare minime est veritus. Breviter hoc loco admoneo, totum carmen illud Trist. III 1 ad hanc quaestiunculam pertinere, quia in illo sententiae, quas poeta Trist. I 1 librum suum adlocutus protulit, a libro ipso maxima quidem parte referuntur.

Iam pervestigandi sunt versus

Trist. I 1, 37—38. Iudicis officium est, ut res ita *tempora* rerum
Quaerere. quaesito tempore tutus eris.

et Trist. III 1, 9—10. Inspice, quid portem. Nihil hic nisi triste videbis,
Carmine *temporibus* conveniente *suis.*

qui eandem excusationem libri continent, ita ut, quod ad hanc quoque sententiam pertinet, carmina Trist. I 1 et III 1 optime sibi respondeant.

Eadem sententia invenitur

Trist. IV 1, 1—2. Si qua meis fuerint, ut erunt, *vitiosa libellis*,
Excusata *suo tempore*, lector, habe.

iterumque loco eiusdem carminis:

Trist. IV 1, 105. Tu quoque non melius, quam sunt *mea tempora, carmen*.

Alteram quoque libri excusationem compluribus locis iteratam legimus hoc modo:

Trist. III 1, 17—18. Si qua videbuntur casu non dicta Latino,
In qua scribebat, *barbara terra* fuit.

Trist. V 7, 59—60. *Nec* dubito, quin sint et in hoc non pauca *libello*
Barbara. non hominis culpa, sed ista *loci*.

ex Pont. IV 13, 17—18. *Nec* te mirari, si sint *vitiosa*, decebit,
Carmina, quae faciam paene poeta Getes.

Quam ob rem ‚terra' sive ‚locus' causa sit sermonis parum Latini, nonnullis locis diligenter explicatur, quibus poeta enuntiat, neminem in ‚terra barbara' adesse, cui carmina sua recitare possit, idque fit locis

Trist. III 14, 39—40. *Nullus* in hac terra, *recitem si carmina, cuius*
Intellecturis *auribus* utar, adest.

Trist. IV 1, 89—90. Sed neque *cui recitem, quisquam est, mea carmina* nec qui
Auribus accipiat verba Latina suis.

Trist. IV 10, 113—114. Quod quamvis *nemo est, cuius* referatur *ad aures*,
Sic tamen absumo decipioque diem.

ex Pont. IV 2, 27—28. Hic mea *cui recitem*, nisi flavis scripta Corallis,
Quasque alias gentes *barbarus* Hister habet.

Denique verborum iterationis causa commemoro locos quoque

Trist. III 14, 51—52. Qualemcumque legas, *venia dignare libellum*
Sortis et excusa condicione meae.

et ex Pont. I 8, 9—10. Quoque magis *nostros venia dignare libellos*,
Haec in procinctu carmina facta leges.

Duae autem illae excusationes coniunctae inveniuntur locis

Trist. III 14, 27—30. Quod quicumque leget . . . si quis leget . . . aestimet ante,
Compositum quo sit *tempore quoque loco*.
Aequus erit scriptis, quorum cognoverit esse
Exilium *tempus barbariemque locum*,

et Trist. V 12, 35—36. Carmina nulla mihi sunt scripta, aut qualia cernis,
Digna sui domini *tempore*, digna *loco*.

Postquam poeta vitia linguae versuumque excusare conatus est, veritus, ne quis similem materiam, qualis in prioribus locis depicta esset, etiam in his quoque libris tractatam esse ratus statim Tristium carmina non lecta reiceret, illam suspicionem a se removere studuit his versibus

Trist. I, 1, 65—67. Si quis erit, qui te, quia sis meus, esse legendum
Non putet, e gremio reiciatque suo,
‚Inspice' dic ‚titulum. non sum praeceptor amoris'.

et illa quoque sententia iteratur carminis Trist. III 1 versibus 1—4

Missus in hanc venio timide, liber exulis, urbem:
Da placidam fesso, lector amice, manum
Neve reformida, ne sim tibi forte pudori.
Nullus in hac charta versus amare docet.

Quodsi ea, quae adhuc de similitudine carminum Trist. I 1 et Trist. III 1 protulimus, breviter comprehendimus, eandem rem magna ex parte iisdem verbis iteratam praebent et, cum non nisi loquentis persona inter se distent, imitationes habendae sunt versus Trist. I 1, 3—14 et III 1, 11—16, deinde I 1, 35—38 et III 1, 9—10, denique I 1, 65—68 et III 1, 1—4.

Si nunc ad pervestigandum carmen Trist. I 1 redimus, haud praetermittendi sunt versus

97—100: Luce bona dominoque tuo felicior ipso
Pervenias illuc et mala nostra leves.
Namque ea vel nemo, vel qui (sc. liber) mihi vulnera fecit
Solus Achilleo tollere more potest.

Illud argumentum quasi conclusio est illorum, quae ex carmine Trist. I 1 adhuc sunt tractata, et illud quoque altero loco repetitur, dico

Trist. II 19—21. Forsitan ut quondam Teuthrantia regna tenenti
Sic mihi res eadem vulnus opemque ferat.
Musaque, quae movit, motam quoque leniet iram.

Eo magis illi versus commemorandi sunt, quia poeta utroque loco ad eandem sententiam illustrandam eadem fabula utitur, ita ut duae iterationes, quarum altera alteri generi adtribuenda est, eodem conexu coniunctae repetantur. Optime talis imitandi ratio convenit cum illa, quae in prior

capite nobis occurrit quaeque pertinuit ad locos Am. III 19, 3—26 et III 4, 17—26. Nam sicut duobus illis locis sententia, qua contenditur, homines semper negata assequi studere, bis eorundarum fabularum, Danaes et Ius, exemplis illustratur, locis, de quibus nunc agitur, eadem Telephi ab Achille et vulnerati et sanati fabula bis ad eandem sententiam ‚musa sola, quae fecit, vulnera mederi quoque potest' explicandam adiungitur.

Multo saepius, quam de libro suo disserit, de se ipso illius libri auctore, Ovidius loquitur et in hac quoque re describenda sui imitator factus est.

Tria imitationum genera, quod ad argumenta pertinet, hoc loco distinguenda sunt, quorum primo poeta questus est, ingenium suum exilio periisse, altero dilucide exposuit, ingenium ipsum causam illius exilii interitusque sui fuisse, idque sibi soli omnium poetarum accidisse, tertio denique tamen se ad carmina facienda semper reverti declaravit.

Propter querelam de ingenio oppresso sublatam primum copiosae duae expositiones tractandae sunt, quae leguntur Trist. III 8, 23—40 et Trist. IV 6, 39—50, quia idem argumentorum ordo in utraque invenitur. Postquam enim poeta versibus Trist. III 8, 23—32 et IV 6, 39—42 corporis sui mala depinxit, mentem quoque labefactatam declarat versibus

Trist. III 8, 33—34. Nec melior valeo, quam *corpore, mente. sed aegra est*
Utraque pars aeque binaque damna fero.

et Trist. IV 6, 43—44. *Corpore sed mens est* aegro magis *aegra* malique
In circumspectu stat sine fine sui.

utramque narrationem simili sententia, qua mortem se sperare et amare exponit hoc modo:

Trist. III 8, 39—40. Tantus amor necis est, querar ut cum Caesaris ira,
Quod non offensas vindicet ense suas.
Trist. IV 6, 49—50. Una tamen spes est, quae me soletur in istis:
Haec fore morte mea non diuturna mala.

Quamquam igitur ex illis, quae protuli, neque initia neque fines locorum Trist. III 8, 23—40 et IV 6, 39—50 inter se cohaerere apparet, tamen consensu, qui cum sententia tum verbis, quibus exponitur, iteratis fit inter versus III 8, 33—34 et IV 6, 43—44, demonstratur utrumque locum per se scriptum esse non posse. Iam reliqui loci, quibus Ovidius ingenium vel mentem exilio fractam describit, componantur, quorum quatuor contulit de Vriesius l. c. p. 108:

Her. [XV] 196—197. *Ingenium*que meis substitit *omne malis*
Trist. I 1, 48. *Ingenium* tantis excidet *omne malis.*
Trist. III 14, 33. *Ingenium* fregere meum *mala,* cuius et *ante*
Fons infecundus parvaque vena fuit.
ex Pont. IV 2, 15. Nec tamen *ingenium* nobis respondet, ut *ante.*

Item huc spectant loci, qui secuntur:

Trist. V 2, 7—8. *Mens* tamen *aegra* iacet, nec tempore robora sumpsit.
Affectus animi, qui *fuit ante,* manet.
Trist. V 12, 21—22. Adde quod *ingenium longa* rubigine laesum
Torpet et est multo, quam *fuit ante,* minor.

et eiusdem versus 31—32:

Contudit *ingenium* patientia *longa* malorum
Et pars antiqui nulla vigoris adest.

Denique ex pont. I 5, 3—4:

In quibus *ingenium* desiste requirere nostrum,
Nescius exilii ne videare mihi.

Iam venio ad alterum genus sententiarum, quo Ovidius ipsum ingenium causam calamitatis fuisse et se solum ingenio suo periisse pronuntiat. Ac primum quidem illud argumentum magna verborum copia descriptum invenimus loco Trist. II 1—12, cuius exordium et finis sibi respondent hoc modo:

v. 1—2. Quid mihi vobiscum est, *infelix cura,* libelli,
Ingenio perii, qui miser ipso.
v. 11—12. Hoc pretium *curae* vigilatorumque laborum
Cepimus. *ingenio* est poena *reperta meo.*

Repetitio propositi conclusionis loco saepius apud Ovidium invenitur iamque nobis ante oculos venit locis Am. I 9, 1 et 31—32, qua re demonstratur hanc quoque rationem scribendi ab Ovidio esse iteratam. Deinde argumentum, de quo agitur, paucis repetitum legitur locis

Trist. I 1, 55—56. Carmina nunc si non *studium*que, quod obfuit, odi,
Sit satis. *ingenio sic fuga* parta *meo.*
Trist. I 9, 55—58. At nostrum (sc. ingenium) tenebris utinam latuisset in imis.
Expediit *studio* lumen abesse *meo.*
Utque tibi prosunt *artes,* facunde, severae,
Dissimiles illis *sic nocuere* mihi.
Trist. III 3, 73—74. Hic ego qui iaceo tenerorum lusor amorum
Ingenio perii Naso poeta meo.
Trist. II 495—496. Denique nec video de tot scribentibus unum,
Quem sua perdiderit Musa. *repertus* ego.
Ibis 5—6. Nec quemquam, nisi me, nostri *laesere libelli,*
Artificis *periit* cum caput *Arte* sua.
ex Pont. II 7, 47—48. *Artibus* ingenuis quaesita est gloria multis.
Infelix perii dotibus ipse *meis.*

ex Pont. II 10, 15—16. Naso parum prudens, *artem* dum tradat amandi,
Doctrinae pretium triste *magister habet.*

ex Pont. III 3, 46—48. Discipulo *perii* solus ab ipse *meo.*
Dum damus arma tibi, dum te, lasci docemus,
Haec te discipulo dona *magister habe*

ex Pont. III 5, 4. *Laesus ab in ingenio Naso poeta meo.*

ex Pont. IV 13, 41—42. Carmina nil prosunt. *nocuerunt carmina* semper
Primaque tam miserae causa fuere *fugae.*

Denique tertium argumentorum genus, quo Ovidius exponit, semper se ad ‚Musas' sive ‚numeros' revertisse, quinque locis plerumque cum alterius generis sententia coniunctum legitur. Qui loci sunt:

Trist. III 7, 9—10. *Et tamen* ad Musas, *quamvis nocuere, reverti,*
Aptaque in alternos cogere verba pedes.

Trist. IV 6, 35—36. Nos quoque delectant, *quamvis nocuere, libelli*
Quodque mihi *telum* vulnera fecit, amo.

et eiusdem carminis versus

87—88. *Et tamen* ad numeros antiquaque sacra *reverti:*
Sustinet in tantis hospita Musa malis.

ex Pont. I 5, 41—42. Sic ego constanter studium non utile servo
Et repeto, nollem quas coluisse, deas.

ex Pont. IV 14, 19—20. Ergo ego, ne scribam, digitos incidere cunctor
Telaque adhuc demens, quae *nocuere,* sequor?

Iamiam pervenimus ad novam quaestiunculam, quam ad instituendam omnes illi loci sunt adhibendi, qui aliquo modo condicionem inter Augustum et poetam nostrum intercedentem attingunt. Quod argumentum, cum gravissimum omnium esset, quae in libris Tristium et ex Ponto tractarentur, quia apta et prudens illius expositio plurimum valeret ad iram Augusti leniendam, a poeta summa diligentia explicatum per se patet. Primum huc spectant omnes loci, quibus poeta de causis loquitur, quae iram Augusti suscitaverint et perfecerint, ut ipse exilio afficeretur. Quae res aut ampla narratione describitur aut brevissime significatur. Atque verbosa explanatio exstat tribus locis ex Pont. I 6, 19—25, II 9, 67—75, III 3, 67—76, qui perpaucis tantum sententiis inter se cohaerent, quas breviter componam.

ex Pont. I 6, 23—24. Qualicunque modo mihi sint ea facta, *rogare*
Desine.

ex Pont. II 9, 73. Neve *roges* quae sit (sc. noxa) . . .
et 75. Ecquid praeterea peccaverim, quaerere noli.

Item sibi respondent versus

ex Pont. I 6, 22. . . . . tractari vulnera nostra timent.

et ex Pont. III 3, 73. . . . neque enim debet dolor ille referri.

Ceteris autem in rebus illi loci minime consentiunt. Qua re, cum exscripti versus quoque non nisi sententia conspirant, imitatio optimo iure negari potest. Plane autem contraria est ratio, quam adhibuit Ovidius in brevibus eiusdem argumenti significationibus. Quarum forma duplex est: aut poeta ‚lumina' sua crimen quoddam vidisse pronuntiat aut demonstrare vult, neque facinus neque crimen, sed culpam sive errorem se commisisse. Prior sententia inest locis

Trist. II 103—104. Cur aliquid *vidi?* cur noxia *lumina* feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi?

Trist. III 5, 49—50. *Inscia* quod crimen *viderunt lumina,* plector,
Peccatumque oculos est habuisse meum.

Trist. III 6, 27—28. Nec breve nec tutum, quo sint mea, dicere, casu
Lumina funesti *conscia* facta *mali.*

Multo autem saepius altera sententia, qua Ovidius excusare se studet, iteratur idque fit locis, quos subieci.

Trist. II 207—208. Perdiderint dum me dua crimina, carmen et *error,*
Alterius facti *causa* silenda *mihi.*

Trist. III 1, 51—52. In quo poenarum, quas se meruisse fatetur,
Non facinus causam, sed suus *error habet.*

Trist. III 5, 51—52. Non equidem totam possum defendere *culpam:*
Sed partem *nostri criminis error habet.*

Trist. III 6, 25—26. Idque ita, si nullum *scelus est* in pectore nostro
Principiumque mei *criminis error habet*.

Trist. III 11, 33—34. Omnia vera puta mea crimina, nil si[bi] in illis
Quod magis *errorem* quam *scelus esse* putes.

Trist. IV 1, 23—24. *Scit* (sc. Musa) quoque, *cum perii,* qui[s] me deceperit *terror*
Et *culpam* in facto *non scelus esse* me[o].

Trist. IV 4, 37—38. Hanc quoque, *qua perii, culpam scel[us] esse negabis,*
Si tanti series sit tibi nota *mali.*

Trist. IV 10, 89—90. *Scite,* precor, causam .. nec vos mihi falle[re] fas est ..
Errorem iussae *non scelus esse* fug[a]e.

Trist. V 4, 18. Conscius in *culpa non scelus esse* sua.

Trist. V 8, 23—24. Vel quia peccavi citra *scelus* atque pudore
Non caret, invidia *sic* mea *culpa caret.*

ex Pont. I 6, 25. Quidquid id est, ut *non facinus, sic culpa* vocanda est.

ex Pont. I 7, 39—40. Et tamen ut cuperem *culpam* quoque posse *negari,*
Sic facinus nemo nescit abesse *mihi.*

ex Pont. II 2, 15—16. Est mea *culpa* gravis, sed quae me perdere solum
Ausa sit, et nullum maius adorta nefas.

ex Pont. II 2, 57. Num tamen excuses *erroris* origine factum.

ex Pont. IV 8, 19—20. Sive velis, qui sint, mores inquirere nostros,
Errorem misero detrahe, *labe carent.*

Error et scelus sibi opponuntur loco quoque Metamorphoseon III 141—142:

At bene si quaeras, fortunae crimen in illo,
Non scelus invenies. quod enim *scelus error* habebat?

Hae iterationes ea de causa nulli generi reliquarum neque prioris neque posterioris aetatis iterationum, quas antea collegimus, exaequari possunt, quod nulla causa erat, quae poetam commoveret, ut reliqua illa argumenta iteraret, cum permultum Ovidii interfuisse, ut aptam criminis sui excusationem saepius proferret, per se patet. Sed unam tantum excusationis formam invenit, quae insuper nihil continet nisi ipsorum verborum contentionem, et ea re, quod unam eandemque illam verbo tenus nimium saepe iteravit, quin etiam loco Metamorphoseon, quo de alius cuiusdam, non de suis ipsius rebus agitur, id unum perfecit, ut profecto excusatio illa nihil esset nisi usque ad satietatem fastidiumque iteratus inanis verborum sonus. Qua re demonstratur Ovidium ne in gravi quidem re describenda modum servare potuisse.

Postquam Ovidium de causis exilii loqui vidimus, transeundum est ad ipsius exilii descriptiones perquirendas, cuius tres exstant formae. Primum enim poeta tristem vitam, quam agere exilio coactus est, nobis describit et ad hanc causam attinet terrae gentiumque tractatio, deinde se Jovis id est Augusti fulmine ictum depingit, denique quasi iuris consultus de genere poenae, qua ipse affectus est, verba facit.

Terrae naturae et gentium moribus describendis operam dedit poeta duobus modis usus: aut utriusque proprietates cunctas magna verborum copia explicavit aut unam alteramque paucis in transcursu significavit.

Atque priorem quidem rationem adhibuit locis Trist. I 11, 25—34, III 10, 1—76, IV 1, 67—86, IV 4, 55—60, V 10, 1—52, ex Pont. I 2, 15—28, I 3, 47—60, II 7, 63—72, III 1, 1—30, III 8, 5—16, IV 7, 7—14. Res, quae in quoque loco insunt, deinceps enumerare longum est et nihil momenti habet, quia eaedem in omnibus tractantur: poeta queritur, se Roma expulsum in terra barbara, sterili, gelu taetra vivere debere, cuius incolae contra hostes crudeles bellum sempiternum gerere coacti sint. Ut autem recte intellegi possit, quanta sit imitatio non solum sententiarum, sed etiam verborum, singula argumenta copiosarum narrationum et inter se et cum brevibus quoque significationibus comparabo, quae simile argumentum continent. Atque de terrae frigore agitur locis

Trist. II 195—196. Longius hic nihil est nisi tantum *frigus* et hostis
Et maris astricto quae *coit unda gelu*.

Trist. III 2, 7—8. *Plurima* sed *pelago terraque* pericula *passum*
Ustus ab assiduo *frigore pontus habet*.

Trist. III 10, 9—10. At hic tristis hiems squalentia protulit ora
*Terra*que marmoreo *candida* facta *gelu* est.

et versus 23. Et nitet inducto *candida* barba *gelu*.

Trist. V 2, 65—66. Nec me tam cruciat nunquam sine *frigore* caelum
Glaebaque canenti semper *obusta gelu*.

Trist. V 3, 11—12. Nunc procul a patria Geticis circumsonor armis
Multa prius *pelago multaque passus humo*.

ex Pont. II 2, 96. *Terraque* pacis inops *undaque* iuncta *gelu*.

ex Pont. IV 9, 85—86. Mentiar an *coeat* duratus *frigore pontus*
Et teneat glacies iugera multa freti.

Deinde dicitur de sterilitate agrorum locis, qui secuntur.

Trist. III 10, 71—73. *Non hic pampinea dulcis* latet *uva* sub umbra
Nec cumulant altos fervida musta lacus.
Poma negat *regio*.

et versus 75. Aspiceres nudos *sine fronde, sine arbore* campos.

ex Pont. I 2, 25. *Adde* loci faciem *nec fronde nec arbore* laeti.

ex Pont. I 3, 51—52. *Non* ager *hic pomum,* non *dulces* educat herbas,
Non salices ripa, robora monte virent.

ex Pont. I 7, 13. Nos *habeat regio nec poma* feta *nec uvis*.

ex Pont. IV 10, 31. *Hic agri infrondes, hic spicula tincta venenis*.

ex Pont. III 8, 13—14. *Non hic pampineis* amicitur vitibus ulmus.
Nulla premunt ramos pondere *poma* suo.

Denique describitur hostium immanitas et ferox ratio pugnandi locis infra adscriptis.

Trist. III 10, 61. Pars agitur vinctis post tergum capta lacertis.

et 63—64. Pars cadit hamatis misere confixa *sagittis:*
Nam volucri ferro *tinctile virus* inest.
Trist. IV 1, 77—78. Hostis habens arcus imbutaque *tela veneno*
Saevus anhelanti moenia lustrat equo.
et versus 83—84. Aut sequitur captus coniectaque vincula collo
Accipit, aut *telo virus* habente perit.
ex Pont. III 1, 25—26. *Adde* metus et quod murus pulsatur ab hoste
Tinctaque mortifera tabe *sagitta* madet.

Reliquos locos, quibus Ovidius exilii mala ita describit, ut illa cum difficultatibus comparet, quae heroibus superandae erant, altera in dissertationis parte tractabo et ob eam causam nunc praetermitto.

Iam nobis, ut antea exposui, considerandae sunt iterationes, quibus Ovidius se Jovis fulmine ictum nominat. Huiusmodi loci sunt

Trist. I 1, 72. *Venit* in hoc illa *fulmen ab arce* caput.
et 81—82. Me quoque, quae sensi, fateor *Jovis* arma timere
Me reor infesto, cum tonat, *igne peti.*
Trist. I 3, 11—12. Non aliter stupui, quam qui *Jovis ignibus ictus*
Vivit
Trist. II 179—180. *Parce, precor, fulmenque tuum,* fera tela, reconde.
Heu *nimium* misero cognita tela mihi.
Trist. III 4, 6. Saevum praelustri *fulmen ab arce venit.*
Trist. III 5, 7. Ausus es *igne Jovis percussum* tangere corpus.
Trist. IV 3, 69. Nec tibi, quod saevis ego sum *Jovis ignibus ictus.*

Trist. V 2, 53. *Parce, precor, nimiumque* tuo de *fulmine* partem
Deme.
Trist. V 3, 31. Ut tamen audisti *percussum fulmine* vatem...
ex Pont. I 7, 46. Usus et est modice *fulminis igne* sui.

Denique perquirendum est, quo modo poeta illis quoque locis se ipsum imitatus sit, quibus de genere poenae, qua ab Augusto affectus est, loquitur. Quam ad quaestionem perficiendam satis est locos, qui huc spectant, deinceps enarrare, quia ratio imitandi ex illis ipsis facillime cognoscitur.

Trist. II 137. Quippe *relegatus non exul* dicor in illis.
Trist. IV 9, 11—12. Omnia, si nescis, Caesar *mihi iura* reliquit
Et sola est patria poena carere mea.
Trist. V 2, 55—58. *Ira* quidem *moderata* tua est *vitam*que dedisti
Nec *mihi ius civis nec mihi nomen* abest.
Nec mea concessa est aliis fortuna *nec exul*
Edicti verbis nominor ipse tui.
Trist. V 4, 21—22. Nam quod *opes* teneat patrias, quod *nomine civis,*
Denique quod vivat munus habere dei.
Trist. V 11, 15—18. *Nec vitam nec opes nec ius mihi civis ademit,*
Quae merui vitio perdere cuncta meo.
Sed quia peccato facinus non adfuit illi,
Nil nisi me patriis iussit abesse focis.
et 21—22. Ipse *relegati non exulis* utitur in me
Nomine. tuta suo iudice causa mea est.
ex Pont. I 7, 47. *Nec vitam nec opes nec ademit* posse reverti.
ex Pont. II 9, 77—78. Quidquid id est, habuit *moderatam* vindicis iram,
Qui nisi natalem nil mihi *dempsit* humum.

Omnium locorum, quae pertinent ad descriptionem condicionis inter Augustum et Ovidium intercedentis, illos attuli, quibus poeta causas irae Augusti poenamque contemplatus est, quam ipse subiit. Nondum autem disserui de illis locis, quibus Ovidius iram Augusti lenire et, ut poena mitigaretur, perficere conatus est. Iam igitur id unum relinquitur, ut perquiram, num in his quoque rebus, sicut in omnibus antea expositis, se ipsum imitatus sit Ovidius. Ac primum quidem inter se comparandi sunt loci, quibus poeta Augustum, summam eius esse lenitatem praedicans, adulatur.

Trist. IV 8, 37—38. Ergo illum demens in me saevire coegi,
Mitius immensus quo nihil orbis habet?

Trist. V 2, 37—38. Quid dubitas et tuta times? accede rogaque.
Caesare nil ingens mitius orbis habet.

Trist. V 8, 25—26. Vel quia *nil ingens* ad finem solis ab ortu
Illo, cui paret, *mitius orbis habet.*

Illi argumento continuat Ovidius alterum, quo explicavit, quia tantae sit Augustus lenitatis, sperare se, fore ut ira ab Augusto in se concepta quoque mitescat. Quod argumentum tractatum invenimus locis

Trist. II 28—29. His precor exemplis tua nunc, *mitissime Caesar,*
Fiat ab ingenio mollior ira meo.

Trist. II 123—124. Atque ea (sc. domus) sic lapsa est, ut surgere, si modo laesi
Ematuruerit *Caesaris ira,* queat.

Trist. III 1, 75—76. *Forsitan* et nobis *olim* minus asper et illi
Evictus longo *tempore Caesar erit.*

Trist. III 5, 25—26. Spe trahor exigua . . quam tu mihi demere noli . .
Tristia *leniri numina posse dei.*

Trist. III 8, 19—20. *Forsitan* hoc *olim,* cum iam satiaverit *iram,*
Tunc quoque sollicita mente rogandus *erit.*

Trist. IV 4, 47—48. *Forsitan* hanc ipsam, vivat modo, finiet *olim,*
Tempore cum fuerit *lenior ira,* fugam.

Trist. V 4, 17. *Nec* fore perpetuam sperat sibi *numinis iram.*

Trist. V 8, 22. Non est placandi *spes* mihi nulla *dei.*

ex Pont. I 6, 46. Magna tamen *spes* est in bonitate *dei.*

ex Pont. II 7, 79. *Spes* quoque, *posse* mora *mitescere Caesaris iram.*

ex Pont. III 3, 83. Pone metus igitur. *mitescet Caesaris ira.*

ex Pont. IV 9, 133—134. Auguror his igitur flecti *tua numina* nec tu
Immerito nomen *mite* parentis *habes.*

Tota illa adhuc tractata series argumentorum ad res pertinentium, quae Ovidio sunt cum Augusto, infimis illis Ovidii precibus concluditur, quibus exilii levationem ab Augustro impetrare voluit. Cuius propositi descriptiones exstant locis

Trist. II 185—186. *Mitius exilium* si das *propiusque roganti,*
Pars erit e *poena* magna *levata mea.*

et 577—578. *Tutius exilium pauloque* quietius oro,
Ut par delicto *sit mea poena* suo.

Trist. III 8, 41—42. At quoniam semel est odio civiliter usus,
Mutato *levior sit fuga* nostro loco.

Trist. IV 4, 51—52. *Mitius exilium pauloque propinquius* opto
Quique sit *a saevo* longius *hoste* locum.

Trist. V 2, 78. Sed precor, ut possim *tutius* esse miser.

ex Pont. I 2, 105—106. Non petito ut bene *sit*, sed uti male
tutius atque
Exilium saevo distet *ab hoste* meum.
et 130. Ut *propior* patriae *sit fuga nostra, roga.*
ex Pont. I 8, 73—75. *Terra* velim *propior* nulli obnoxia bello
Detur. erit nostris *pars* bona dempta malis.
ex Pont. II 2, 67—68. Exiguam ne me praedam sinat esse Getarum
*Det*que solum miserae *mite*, precare, *fugae.*
ex Pont. III 1, 151. Tum pete *nil* aliud, *saevo nisi ab hoste* recedam.
ex Pont. III 9, 3. *Nil nisi* me *terra* fruar ut *propiore, rogare.*

Sed haec hactenus.

Non minus copiose, quam de Augusto, egit Ovidius de consuetudine, quae sibi cum amicis in patria relictis erat. Una autem re prioris argumenti tractatio a posterioris explicatione distincta est. Nam cum Ovidius priore in argumento tractando breves plurimum sententias protulit, hac in re describenda amplis expositionibus utitur, quae leguntur locis Trist. I 5, 1—42, I 9, 1—35, II 39—52, ex Pont. II 3, 1—46, II 6, 1—38, III 2, 1—34. Ut autem recte perspici possit, num illis quoque locis Ovidius sui imitator factus sit, necessarium est sententias illorum deinceps enarrare. Ac primi loci, Trist. I 5, 1—42, sententiae sunt hae: v. 1—16 fidelis amicus es, v. 17—18: nam tua fides in rebus adversis permansit, v. 19—26: sicut heroum fides, v. 27—28: felicem amici secuntur, v. 29—32: infelicem relinquunt, sicut me reliquerunt, v. 33—34: vos perpauci fideles mansistis, v. 35—36: et vos adhortor, ut me adiuvetis, v. 37—38 et Caesarem non timeatis, v. 39—40: quia pietatem et in hoste probat, v. 41—42: ego autem hostis non sum. Alterius loci, Trist. I 9, 1—35, res declarandae sunt hoc modo: v. 1—14: te felicem amici sequentur, te infelicem relinquent, v. 15—20: sicut me reliquerunt, v. 21—22: idque non miror, quia ruinam timent, v. 23—26: at fidelem infelicis

amicum Caesar etiam hostem probat, v. 27—35: sicut heroum amicitiae ab eorum hostibus probati sunt. Locus Trist. II 39—52 duas continet sententias: v. 39—50: Caesar contra hostem quoque mitis est, v. 51—52: ego ne sum quidem hostis (Ovidius loquitur). Quartae explicationis, ex Pont. II 3, 1—46, sententiarum series hanc structuram prae se fert: v. 1—6: tu fidelis amicus es, v. 7—24: plerique amicitiam utilitate probant, v. 25—28: itaque me reliquerunt, v. 29—30: perpauci fideles manserunt, v. 31—40: in quibus tu quoque fidelis remansisti, v. 41—46: sicut heroes sibi fideles erant. Tum conexus argumentorum, quae in carmine ex Pont. II 6, 1—34 insunt, hic est: v. 1—8: me non corripe, v. 9—12: nam corripere nunc serum est, v. 13—14: adiuva me, v. 15—24: nam amicum infelicem deserere turpe est, v. 25—26: heroes aliter vixerunt, v. 27—28: clarique sunt, v. 29—30: si me adiuvaberis, ego te carminibus meis immortalem faciam. Denique res epistulae ex Pont. III 2, 1—34 exponuntur sic: v. 1—7: tu fidelis amicus es, v. 8—24: ceteri me reliquerunt, v. 25—26: perpauci manserunt, v. 27—32: quos carminibus meis immortales faciam, v. 33—34: sicut heroes immortales sunt. Quorum si carminum argumenta paulo diligentius perscrutatus eris, cognosces eandem rem describi versibus Trist. I 5, 1—16, ex Pont. II 3, 1—6, III 2, 1—7, deinde Trist. I 5, 27—32, I 9, 1—20, tum Trist. I 5, 29—34, ex Pont. II 3, 25—30, III 2, 8—26, itemque Trist. I 5, 39—42, II 39—52, denique ex Pont. II 6, 27—34, III 2, 27—34. Similitudo illarum sex epistularum ea re quoque augetur, quod Trist. I 5, 19—26, I 9, 27—35, ex Pont. II 3, 41—46, II 6, 25—26, III 2, 33—34 eaedem fabulae exempli causa iterantur. Sed fabulas illas in altera dissertationis parte copiose tractabo et ob eam causam hoc loco in transcursu tangam. Sed non modo rebus, sed etiam verbis nonnulla

illorum carminum disticha accuratissime sibi respondent, quod apparet ex comparatione versus

Trist. I 5, 40. Inque suis amat (sc. pietatem) *Caesar, in hoste probat*

cum loci Trist. I 9 versibus

24. Quamlibet inviso *Caesar in hoste probat.*

et 35. Est etiam miseris pietas et *in hoste probatur.*

Simili modo inter se cohaerent versus

Trist. I 5, 41—42. *Causa mea est melior, qui non contraria* fovi
Arma, sed hanc merui simplicitate fugam.

et Trist. II, 51—52. *Causa mea est melior, qui nec contraria* dicor
Arma nec hostiles esse secutus opes.

itemque loci

ex Pont. II 3, 39—40. Mitius est *lasso* digitum *supponere mento*
Mergere quam liquidis ora *natantis* aquis.

et ex Pont. II 6, 13—14. Brachia da *lasso* potius prendenda *natanti*
Nec pigeat *mento supposuisse* manum.

Denique inter se comparandi sunt versus

Trist. I 9, 20. Cautaque communi *terga dedere fugae.*

et ex Pont. III 2, 8. Qui cum fortuna *terga dedere fugae*[1].

1) Duos locos illos Zingerleius recte composuit l. c. I p. 128 et propter sententiarum verborumque similitudinem adiecit
Trist. III 5, 5—6. Ut cecidi, cunctique metu fugere ruinam,
Versaque amicitiae *terga dedere* meae.
Fast. VI 522. Turpia femineae *terga dedere fugae.*
Omnes illi loci fortasse imitationes sunt, ut Zingerleius recte cognovit, versus
Prop. V 2, 54. Atque hostes turpi *terga dedisse fugae.*

Ex iis, quae protuli, apparet etiam in verbosis explicationibus sicut in brevibus quoque antea compositis commemorationibus Ovidium ita haesisse in ratione, quam argumentum quoddam primum describens iniit, ut illam omnibus reliquis quoque locis, quibus idem argumentum sibi describendum sumpsit, semper sequeretur et maxima ex parte etiam verba iteraret.

Restat, ut pauca proferam de iterationibus, quibus agitur de consuetudine Ovidii et eius uxoris, quae Romae remanserat. Quod attinet ad locos, quibus poetam illius fidem cum clarissimo heroidum comparat, eiusmodi argumenta altera in parte tractanda erunt. Ad huius autem capitis propositum pertinent tres tantum loci

Trist. I 6, 35—36. Quantumcunque tamen praeconia nostra valebunt,
Carminibus vives tempus in omne meis.

Trist. V 14, 3—5. Detrahat auctori multum fortuna, licebit:
Tu tamen ingenio clara ferere meo.
Dumque legar, mecum pariter tua fama legetur,
Nec potes in maestos omnis abire rogos.

ex Pont. III 1, 57—58. Nec te nesciri patitur mea pagina, qua non
Inferius Coa Bittide nomen habes.

Qui similes quidem continent sententias, at explicationis ratione inter se discrepant, ut imitatio existimari non possit. Iam nihil aliud restat, quam ut fine capitis paucarum epistularum initia inter se conferamus, quae tantam praebent et sententiarum et enuntiationis aequalitatem, ut imitatio negari non possit, dico versus

ex Pont. I 7, 3—4. *Indicat* auctorem locus? *an nisi nomine lecto
Haec me Nasonem scribere verba* latet?

et ex Pont. II 10, 1—4. *Ecquid* ab impressae *cognosces* imagine cerae

Haec tibi Nasonem scribere verba, Macer?

qui certissime cohaerent cum initio epistulae Sapphus, quod hanc praebet formam:

v. 1—4. *Ecquid*, ut exspecta est studiosae *littera* dextrae,
Protinus *est* oculis *cognita nostra* tuis?
An, nisi legisses auctoris *nomina* Sapphus,
Hoc breve nescires, unde movetur opus?

Iam, sicut propositum erat, rerum imitationes, quae pertinent et ad amorem et ad exilium, collegi et inter se comparavi. Reliquum est demonstrare, quae ex illis, quae protuli, in universum de arte et ingenio poetae concludenda sint. Primum in carminibus et prioribus et posterioribus et breves sententiae et copiosae explicationes imitando expressae inveniuntur. Ratio quoque et modus imitandi eadem sunt, nam et in illis et in his Ovidium genus scribendi, quo primum in argumento quodam exponendo usus est, reliquis quoque locis, quibus idem argumentum repetivit, denuo adhibuisse vidimus. Qua re Ovidius plane differt ab illis poetis, ex quibus magnam partem rerum a se tractarum hausit, id est ab reliquis Romanorum poetis elegiacis. Quisque enim eorum, quoad perquisivimus, in similibus quoque rebus describendis et sententiis et verbis variatis imitationem plane evitavit. At Ovidius et in prioribus et in posterioribus quoque libris sui imitator exstitit, quamquam in carminibus ad amorem spectantibus res tractandas suscepit, quae maxima ex parte iam ante ipsum diligenter erant descriptae, at in carminibus Tristium et ex Ponto ipse primus ad novas

res depingendas accessit. Quin etiam pauci illi loci, qui ex libris Metamorphoseon et Fastorum nominandi erant, cum reliquis et re et enuntiandi genere optime consentiebant. Qua re verisimile fit, rationem scribendi semper sibi constitisse indolemque poeticam minime esse mutatam, ita ut eadem in carminibus et ante et post exilium scriptis inveniatur. Sed hoc loco illa quaestio diiudicari non potest, quia magna pars cunctae materiae nondum tractata est, dico fabulas ex mythologia electas et in carmina ornandi illustrandique causa insertas. Qua re his demum rebus perquisitis iustum iudicium fieri potest de poetae ingenio modoque scribendi.

II.

Postquam priore dissertationis parte investigavi, quo modo Ovidius in descriptionibus rerum se ipsum imitatus sit, nonnulla adiciam de fabulis mythologicis repetitis. Atque in hac quoque parte, sicut in priore, duo capita secernenda sunt, quia apud Ovidium duo fabularum genera exstant, quae plane inter se diversa sunt, ita ut de iis uno eodemque loco agi non possit. Prioris quidem generis forma est haec: Ovidius ex tota mythologia illas fabulas, quae similitudine quadam inter se cohaerent, elegit, singulas fabulas singulis vel binis distichis brevissime significavit hasque fabularum circumscriptiones ita composuit, ut complures fabularum circuli sive orbes, ut ita dicam, fierent, quos diversis in carminibus iterum atque iterum repetivit. Alterum autem genus ab illa ratione eo diversum est, quod Ovidius non seriem quandam fabularum, sed unam tantum fabulam illamque non

breviter uno sive duobus distichis significatam, sed larga narratione et magna verborum copia descriptam iteravit. Duo ista genera seiunctim tractabo.

A. De fabularum mythologicarum circulis repetitis.

Propter argumenti quandam aequalitatem ad circulum componendum peridoneae sunt fabulae, in quibus de puellis a Jove amatis et de ipso illo amatore agitur. Et profecto fabulae Danaes, Europae, Ledae, Ius, Semeles ab Ovidio aut omnes aut ex parte coniunctae saepius ad carmina illustranda adhibitae sunt idque fit locis, qui secuntur.

Am. I 3, 21—24. Carmine nomen habent exterrita *cornibus Io*
Et *quam* fluminea *ludit adulter ave,*
Quaeque super pontum simulato *vecta* iuvenco
Virginea tenuit cornua vara manu.

Am. II 19, 27—30. Si nunquam *Danaen* habuisset aenea turris,
Non esset Danae de Jove facta parens.
Dum servat Juno mutatam *cornibus Io*[1],
Facta est, quam fuerit, gratior illa Iovi.

Am. III 4, 19—22. Centum fronte oculos, centum cervice gerebat
Argus et hos unus saepe fefellit Amor.
In thalamum *Danae* ferro saxoque perennem
Quae fuerat virgo tradita, mater erat.

1) Quomodo Ovidius se iteraverit locis, quibus Ius fabula nominatur, exposuit A. Otto ‚De fabulis Propertianis' Particula II. Gymn.-Progr. Gross-Glogau 1886 p. 6.

A. A. III 251—252. Non mihi venistis, Semele *Lede*ve, docendae
Perque fretum *falso,* Sidoni, *vecta bove.*

Denique propter verborum iterationem commemoro

Am. I 10, 3—4. Qualis erat *Lede, quam* plumis abditus albis
Callidus in *falsa lusit adulter ave,* e. q. s.

Si de Ovidii genere dicendi, quale sit quinque illis locis, recte diiudicare volumus, ratio habenda est Propertiani loci III 28, 28—30 (II 30). Et canere antiqui dulcia furta Iovis,
Ut Semelest combustus, ut est perditus Io,
Denique ut ad Troiae tecta volavit avis[1]).

Quia igitur fere eaedem fabulae apud Propertium quoque coniunctae leguntur, primo obtutu veri simile videtur, Ovidium illum locum ante oculos habuisse, sed certis argumentis demonstrari nequit. Nam duarum causarum, quibus praecipue imitatio manifesta fit, neutra apparet. Neque enim verbis modoque loquendi loci Ovidiani cum Propertiano cohaerent, neque sententiarum conexus, cui Propertius fabulas illas inseruit, uno aliove loco Ovidiano iteratur. Ea quoque re ratio Propertiana discrepat cum Ovidiana, quod apud Propertium fabulae illae una serie coniunctae semel tantum inveniuntur, cum Ovidius illarum ordinem quinque locis repetivit. Quod autem ad Ovidium ipsum attinet, magni momenti est ad scribendi genus cognoscendum, quod locis Am. II 19, 3—30 et III 4, 17—26 non modo eaedem fabulae Danaes et Ius iterantur, sed in eundem etiam cone-

1) De fabulae Ganymedis forma apud Propertium Ovidiumque cf. Hertzberg in commentario ad illum locum et A. Otto ‚De fabulis Propertianis' Part. II p. 9.

xum insertae ad idem propositum demonstrandum adhibentur. Quam ad rem cognoscendam satis est argumenta illorum locorum breviter exponere [1]).

Prioris loci, Am. II 19, thema praebet hanc formam:

v. 3—4. Quod licet, ingratum est. quod non licet, acrius urit.
Ferreus est, si quis, quod sinit alter, amat.

Illa sententia usque ad versum 8 exponitur, deinde digressione facta disticho 25—26 poeta ad exordium regreditur hoc modo:

Pinguis amor nimiumque patens in taedia nobis
Vertitur et stomacho dulcis ut esca nocet.

Ut haec sententia percipua fiat, duo exempla Danaes et Ius versibus 27—30, quos supra exscripsi, adiunguntur totaque explicatio concluditur versibus

35—36. Quidlibet eveniat, nocet indulgentia nobis.
Quod sequitur, fugio. quod fugit, ipse sequor.

Alterius autem loci, Am. III 4, propositum hoc est:

v. 17. Nitimur in vetitum semper cupimusque negata.

Deinde versibus 19—22 supra exscriptis iterum Danaes et Ius exempla nominantur concluditurque locus sic:

v. 25—26. Quidquid servatur, cupimus magis ipsaque furem
Cura vocat. pauci, quod sinit alter, amant.

Haec explicatione demonstratur, locos Am. II 19, 3—30 et III 4, 17—26 plane sibi respondere. Nam eadem utrique loco proposita sententia eisdem exemplis illustratur totaque narratio simillimo dicto finitur.

---

1) Locos eosdem iamiam in priore parte (cf. p. 10) inter se comparavi, ut demonstrarem, easdem *res* utroque tractari. At nunc perquirendum est, quatenus Ovidius non modo fabularum circulos, sed etiam rationem, qua usus est in illis adhibendis, iteraverit. Quia igitur propositum plane diversum sit, sententiarum conexum denuo explicandum puto.

Alter circulus, qui ex fabulis puellarum libidinosarum compositus est, exstat locis, quos subscripsi.

A. A. I 283—286. Byblida quid referam, vetito quae fratris amore
Arsit et est laqueo fortiter ulta nefas?
Myrrha patrem, sed non, qua filia debet, amavit
Et nunc obducto cortice pressa latet.

v. 295—296. Pasiphae fieri gaudebat adultera tauri.
Invida formosas oderat illa boves.

v. 327—340. Cressa Thyesteo si se abstinuisset amore,
Ei! quantum est uno posse placere viro!
Non medium rupisset iter curruque retorto
Auroram versis Phoebus adisset equis.
Filia purpureos Niso furata capillos
Pube premit rabidos inguinibusque canes.
Qui Martem terra, Neptunum effugit in undis,
Coniugis Atrides victima dira fuit.
Cui non defleta est Ephyraeae flamma Creusae,
Et nece natorum sanguinolenta parens?
Flevit Amyntorides per inania lumina Phoenix.
Hippolytum pavidi diripuistis equi.
Quid fodis immeritis, Phineu, sua lumina natis?
Poena reversura est in caput ista tuum.

Rem. A. 55—68. Vixisset Phyllis, si me foret usa magistro,
Et per quod novies, saepius isset iter.
Nec moriens Dido summa vidisset ab arce
Dardanias vento vela dedisse rates.
Nec dolor armasset contra sua viscera matrem,
Quae socii damno fortiter ulta virum est.
Arte mea Tereus, quamvis Philomela placeret,
Per facinus fieri non meruisset avis.

Da mihi Pasiphaen, iam tauri ponet amorem:
Da Phaedram, Phaedrae turpis abibit amor.
Redde Parin nobis, Helenen Menelaus habebit,
Nec manibus Danais Pergama victa cadent.
Impia si nostros legisset Scylla libellos,
Haesisset capiti purpura, Nise, tuo.

Hic quoque fabularum ordo non ab Ovidio solo prolata est, sed apud Propertium quoque invenitur et quidem loco IV 8, 9—24 (III 19).

Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus
Et rabidae stimulos frangere nequitiae.
Testis, Cretaei fastus quae passa iuvenci
Induit abiegnae cornua falsa bovis.
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quae voluit liquido tota subire deo.
Crimen et illa fuit patria succensa senecta
Arboris in frondes condita Myrrha novae [1]).
Nam quid Medeae referam, quo tempore matris
Iram natorum caede piavit amor?
Quidve Clytaimnestrae, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?
Tuque, o Minoa venumdata Scylla figura,
Tondes purpurea regna paterna coma.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti:
Nise, tuas portas fraude reclusit Amor [2]).

1) De Myrrhae fabulae descriptionibus apud Ovidium Propertiumque egit Otto l. c. part. II p. 16.

2) Loco Propertiano et Ovidianis antea exscriptis similem materiam tractari animadvertit Otto. Is enim l. c. part. I p. 8—9 brevissime locos composuit, quibus Propertius et Ovidius de eadem re agunt ibique illos quoque versus commemoravit. Etsi non omnia exhausit et, quibus ex

[illegible] modo persimilis fabularum circulus et in Propertio [illegible] Ovidio invenitur, sed etiam propositum, quod [illegible] comprobandum fabulae adiunguntur, et in illo et in hoc plane idem est, ita ut idem argumentorum conexus utroque loco exstet. Carmen enim illud Propertianum, IV 8, incipit hoc modo:

v. 1—2. Obicitur totiens a te mihi nostra libido:
Crede mihi, vobis imperat ista magis.

Haec sententia usque ad versum octavum diligenter illustratur, deinde adiunguntur fabulae Pasiphaes, Tyronis, Myrrhae, Medeae, Clytaimnestrae, Scyllae. Si cum versibus illis, quos exscripsi, comparamus Ovidiani loci initium,

A. A. I 281—282. Parcior in nobis nec tam *furiosa libido*.
Legitimum finem flamma virilis habet.

concedere debemus, utrumque distichon idem argumentum continere, quo exponitur, feminarum libidinem maiorem esse quam virorum. Secuntur apud Ovidium illustrandi causa fabulae Byblidis, Myrrhae, Pasiphaes, Aeropes, Scyllae, Clytaimnestrae, Medeae, Phthiae, Phaedrae, Idaeae. Omnes igitur fabulae, quas Propertius commemoravit, si illam Tyrus excipis, ab Ovidio iterantur. Denique narratio Ovidiana concluditur verbis:

v. 341—342. Omnia feminea sunt haec *libidine* mota:
Acrior est nostra plusque *furoris* habet.

quorum sententia optime respondet et eiusdem carminis versibus 281—282 et initio loci Propertiani. Qua re incredibile mihi videtur, utrumque poetam ex se ipso solo carmen suum composuisse. Cum autem aut uterque ex eodem fonte hauserit, aut alter alterum imitatus sit, perquirendum est, quid sit probabilius. Vere saepius Propertium

causis illi loci comparare possint, non adiecit, tamen ex enumeratione illa cognoscitur, quanta Ovidio cum Propertio sint communia.

et Ovidium eundem fontem secutos esse, qu Helenae, Telephi, Phyllidis pertinet, mea quidem recte demonstravit Otto[1]). Secutus est Ovidius etiam pertium ipsum nonnullis locis et re et enuntiatione verborumque forma tam accurate, ut imitatio negari nequeat[2]). Quod autem ad locos illos Ov. A. A. I 281 sqq. et Prop. IV 18, 1 sqq. attinet, quam simillimum veri est, Ovidium Propertium ipsum non esse imitatum. Nam perfacile fieri potest, si duo poetae uterque per se eundem fontem secuntur, ut apud utrumque eaedem res, quin etiam idem argumentorum conexus legatur, at item verisimile est, utrumque illum tantum fontem imitatum in verborum plane diversorum usum incidere idque fit locis, de quibus agitur. Accedit, quod Ovidius unam fabulam Propertianam reliquit, duas ipse adiecit. Qua re equidem Ovidium Propertium ipsum non esse imitatum, sed utrumque ex priore fonte hausisse contenderim. Sed sive ea, quae protuli, recte dicta concedis, sive Ovidium ex Propertio ipso hausisse putas, id unum utique constat, Ovidium illum fabularum circulum non ipsum sibi composuisse.

Una autem re locus Ovidianus a Propertiano valde abhorret, de qua paulo accuratius disserere mihi liceat. Ovidius enim fabulam Pasiphaes versibus 289—323 amplissime narravit, dum Propertius illam quoque sicut reliquas uno disticho breviter tetigit. Sed illa explicatio summam suspicionem movet. Singularis enim est apud Ovidium eiusmodi expositio neque ullo alio loco, quo complures fabulae deinceps enumerantur, una fabula plus quam duo disticha impleet.

1) Cf. A. Otto l. c. part. I p. 18—21, 35—36. Etiam rebus describendis uterque poeta saepius eundem fontem imitatus est, cf. Mallet Quaest. Propert. p. 20—22. 41. 49. 52—53. 61.

2) Cf. A. Otto l. c. I p. 27. 40. 45.

Sed quamquam multis locis vidimus et videbimus, Ovidium rationem primo acceptam post diligenter persecutum esse, tamen ex ea re, quod uno loco usitatam rationem neglexit, non efficitur, locum illum interpolatum esse. Quae enim res poetam cogere potuit, ut nunquam ab usitato more recederet? Itaque quaestio fit, num aliae causae exstent, quibus demonstretur amplam illam explicationem hoc loco retineri non posse. Primum ea, quae in illa narratione proferuntur exceptis versibus 295—296, non ad rem pertinent, quia supervacaneum est describere, quam formam habuerit taurus, quomodo Pasiphae illius amorem captare conata sit, denique quo dolo illum fefellerit et, quae voluit, perfecerit. Nam ut in reliquis novem exemplis ita in fabula Pasiphaes quoque describenda brevis commemoratio satisfecisset. Verbosa autem illa descriptio non modo supervacanea est, sed etiam totius loci conexum valde interrumpit, quia propositum oblitterat, quod ad demonstrandum omnia illa exempla afferuntur, ita ut versus 341—342, quibus poeta ad totius loci propositum (cf. v. 281—282) revertitur[1]), vix intellegi possint. Maxime autem sententiarum ordo digressionis initio, versu 289[2]), perturbatur. Quo modo enim Myrrhae fabulae commemoratio cum tauri cuiusdam Idaei descriptione cohaereat, minime cognoscitur. Ut autem initio, ita fine quoque explicationis (cf. v. 286) totius loci conexus dirimitur. Quibus causis demonstratur, versus illos 289—326 a nostri loci proposito plane alienos et contra solitum scribendi

1) Saepius Ovidium propositi sententiam explicatione perfecta conclusionis loco repetisse iis demonstratur, quae exposui p. 10, 52, 55.

2) Riesius nonnullique alii viri docti v. 277—288 interpolatos iudicaverunt, id quod haud probaverim, quia brevi illa commemoratione conexus vix ac ne vix quidem interrumpitur. Ceterum illius rei iudicium ad nostram quaestionem perficiendam nihil valet.

morem Ovidianum esse insertos. Sed haec hactenus. Iam ad propositum nostrum redeundum est.

Ovidius, quod ad libidinis femineae descriptionem pertinet, non solum alium poetam sed etiam ipse simul se imitatus est. Nam eadem libido, quae et initio et fine loci A. A. I 289 sqq. commemoratur, iterum nobis obviam fit loco Rem. A. 53—70. Cuius si primum distichon:

v. 53—54. Utile propositum saevas exstinguere flammas
Nec servum vitii pectus habere sui.

diligentius perscrutamur, et saevis flammis et furiosa libidine (cf. A. A. I 281) idem significari cognoscimus. Rem ita se habere demonstratur eo, quod a sequente versu 55 usque ad versum 68 exempla, quae loco A. A. I 281 sqq. leguntur, magna ex parte repetuntur (cf. p. 53). Denique fit conclusio versibus

69—70. Me duce damnosas, homines, compescite curas
Rectaque cum sociis me duce navis eat.

Quod autem sententia et initii et conclusionis et fabularum elocutione locus Rem. A. a versibus A. A. I 281 sqq. nonnihil distinctus est, id aliter fieri non potest propter discrimen, quod interest inter consilium Artis Amatoriae et Remediorum librum. Omnibus ceteris rebus, id est structura argumentorum et conexu, qui fit inter propositum et exempla, plane sibi respondent illi loci, qua re Remediorum versus 53—70 loci Artis Amatoriae I 281 sqq. imitationem esse puto.

Deinde propter argumentorum consensum facillime ita componi possunt, ut circulus quidam exsistat, fabulae feminarum ab amatoribus suis perfidiose desertarum. Re vera illas fabulas coniunctas invenimus tribus his Ovidii locis:

Her. XVI, 191—194. Certus in hospitibus non est amor. errat, ut ipsi
Cumque nihil speres firmius esse, fugit.

Hypsipyle testis, testis *Minoia* virgo est.
In non exhibitis utraque lusa toris.

A. A. III 33—40. Phasidiam matrem fallax dimisit *Iason* [1]).
Venit in Aesonios altera nupta sinus.
Quantum in te, Theseu, volucres Ariadne *carinas*
Pavit, in ignoto *sola relicta loco* [2]).
Quaere, novem cur una viae dicantur et audi,
Depositis silvas Phyllida flesse comis [3]).
Et famam pietatis habet, tamen hospes *et ensem*
Praebuit et causam mortis, Elissa, tuae [4]).

A. A. III 457—460. Parcite, Cecropides, iuranti credere *Theseo.*
Quos facit testes, fecit et ante deos.
Et tibi, *Demophoon,* Thesei criminis heres,
Phyllide decepta nulla relicta fides.

Recte cum illis versibus comparavit Otto l. c. part. I p. 9 hos locos Propertianos:

III 14, 11—16 (II 21). Colchida sic hospes quondam *decepit Iason:*
Eiectae tenuit namque Creusa domum.
Sic a Dulichio iuvene est elusa Calypso:
Vidit amatorem pandere vela suum.
A nimium faciles aurem praebere puellae.
Discite desertae non temere esse bonae.

---

1) Quo modo in fabula Medeae describenda Ovidius se imitatus sit, exponit Otto l. c. I p. 50—52.

2) Ovidium sui imitatorem, quod pertinet ad fabulam Ariadnae, descripsit Otto I p. 50—52.

3) Et Propertium et Ovidium in describenda fabula Phyllidis secutum esse Callimachum, docuit accurate Otto I p. 36.

4) Propter verborum similitudinem cum illo loco sunt comparandi versus Her. VII 195—196, qui iterantur loco Fast. III 549—550:
Praebuit Aeneas *et causam mortis et ensem:*
Ipsa sua Dido concidit usa manu.

III 19, 27—30 (II 24, 43—46).

Parvo dilexit spatio *Minoida Theseus,*
Phyllida Demophoon, hospes uterque malus.
Iam tibi Iasonia nota est, Medea, *carina*
Et modo servato *sola relicta viro.*

Hac quoque in serie fabularum describenda, sicut in circulo feminarum libidinosarum componendo Ovidius plane eandem rationem secutus est, quam Propertius. Sed non modo argumentis, quin etiam compositione versuum verborumque loci illi Ovidiani Propertianis tam accurate respondent, ut optimo iure contendi possit, Ovidium Propertium ipsum sibi imitandum proposuisse.

Haec erant dicenda de tribus illis circulis, qui in carminibus ad amorem pertinentibus iterati inveniuntur.

Cum poeta in carminibus elegiacis in exilio scriptis imprimis de rebus uxoris et amicorum suorum scriberet, permultae occasiones ei datae sunt, ut fabulas, in quibus de fide amicorum et coniugii agitur, carminibus suis insereret. Profecto, quotiescunque potestas eiusmodi fit, Ovidius eosdem fabularum ordines iterare minime praetermisit.

Ac primo quidem loco commemoro seriem fabularum, quibus heroes amicitia praeclarissimi celebrantur. Atque nominantur bini iuxta compositi Theseus et Pirithous, Achilles et Patroclus, Orestes et Pylades, Nisus et Euryalus, qui aut cuncti aut maxima ex parte coniuncti sunt locis, quos subscripsi:

Trist. I 5, 19—24. *Thesea Pirithous* non tam sensisset *amicum,*
Si non infernas vivus adisset aquas.
Ut foret exemplum veri *Phoceus* amoris,
Fecerunt furiae, tristis Oresta, tuae.
Si non Euryalus Rutulos cecidisset in hostes,
Hyrtacidae Nisi gloria nulla foret.

Trist. I 9, 27—34. De *comite* Argolici postquam cognovit *Orestae,*
Narratur Pyladen ipse probasse Thoas.
Quae fuit Actoridae cum magno semper Achille,
Laudari solita est Hectoris ore *fides.*
Quod pius ad manes Theseus *comes isset amico,*
Tartareum dicunt indoluisse deum.
Euryali Nisique fides tibi, Turne, relata
Credibile est lacrimis immaduisse genas.

Trist. V 4, 25—26. Teque, Menoetiaden, te *qui comitatus Oresten,*
Te vocat Aegiden Euryalumque suum.

ex Pont. II 3, 41—46. Cerne, quid Aeacides post mortem praestat *amico*
Instar et hanc vitam mortis habere puta.
Pirithoum Theseus Stygias *comitavit* ad undas.
A Stygia quantum sors mea distat aqua?
Adfuit insano iuveni *Phoceus Orestae:*
Et mea non minimum culpa furoris habet.

ex Pont. II 6, 25—26. Non ita vixerunt Strophio atque Agamemnone nati,
Non haec Aegidae Pirithoique *fides.*

ex Pont. III 2, 33—34. Occidit et Theseus et *qui comitavit Oresten,*
Sed tamen in laudes vivit uterque suas.

Sed Ovidius non solum fabularum ordinem iteravit, sed etiam ratione, qua usus illum carminibus suis inseruit, se ipsum imitatus est. Quam ad rem cognoscendam paulo dili-

gentius perquirendi sunt loci ex Ponto II 3, 37—46 et II 6, 19—26, quorum prior incipit sic:

Turpe putas abici, quia sit miserandus, *amicum*
Quodque sit infelix, desinere *esse tuum.*
Mitius est lasso digitum supponere mento,
Mergere quam liquidis ora natantis aquis.

In sequentibus versibus 41—46, quos paulo ante exscripsi, fabulae Achillis et Patrocli, Thesei et Pirithoi, Orestae et Pyladis adiunguntur. Alter locus, ex Pont. II 6 sqq., simillimum initium praebet:

Turpe erit in miseris veteri tibi rebus *amico*
Auxilium nulla parte tulisse *tuum.*
Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci.
Turpe laborantem deseruisse ratem.
Turpe sequi casum, fortunae cedere *amicum,*
Et *nisi sit felix, esse* negare *suum.*

Deinde Thesei et Pirithoi, Pyladis Orestaeque exempla, quae in priore quoque loco offendimus, adiiciuntur (cf. v. 25—26). Quia igitur prioris loci argumenta eodem ordine posteriore loco iterantur, hunc illius loci imitationem esse unumquemque mihi concessurum spero, praesertim cum scribendi formam, quam adhibuit Ovidius versibus ex Pont. II 3, 37—38, loco ex Pont. II 6, 23—24 iteratam viderit.

Ut omnibus locis, quibus de amicis agitur, amicorum fide clarissimorum exempla adhibentur, ita iis locis, quibus poeta de uxore sua eiusque fidelitate et calamitate loquitur, fidelium uxorum fabulas adiungit. Quae quidem sunt Alcestis, Andromache, Euadne, Laodamia, Penelope. Atque leguntur quinque locis, quos infra subscripsi.

Trist. I 6, 19—22. Nec probitate tua prior est aut *Hectoris uxor,*
Aut *comes extincto Laodamia viro.*

Tu si Maeonium vatem sortita fuisses,
Penelopes esset fama secunda tuae.

Trist. V 5, 51—58. Si nihil infesti durus vidisset Ulixes,
Penelope felix, sed sine laude foret.
Victor Echionias si vir penetrasset in arces,
Forsitan Euadnen vix sua nosset humus.
Cum Pelia genitae tot sint, cur nobilis una est?
Nempe fuit misero nupta quod una *viro.*
Effice, ut Iliacas tangat prior alter arenas,
Laodamia nihil cur referatur erit.

Trist. V, 14, 35—40. Aspicis, ut longo teneat laudabilis aevo
Nomen inextinctum Penelopea fides?
Cernis, ut Admeti cantetur et *Hectoris uxor,*
Ausaque *in accensos* Iphias ire *rogos?*
Ut vivat fama coniunx Phylaceia, cuius
Iliacam celeri vir pede pressit humum?

ex Pont. III 1, 105—112. Si mea sors redimenda tua . . quod abominor . . esset,
Admeti coniunx, quam *sequereris,* erat.
Aemula Penelopes fieres, si fraude pudica
Instantis velles fallere nupta procos.
Si *comes extincti* manes *sequerere mariti,*
Esset dux facti *Laodamia* tui.
Iphias ante oculos tibi erat ponenda, volenti
Corpus in *accensos* mittere forte *rogos.*

Maxime autem dignus est, qui commemoretur, locus A. A. III 15—22. Est pia Penelope lustris errante duobus

Et totidem lustris bella gerente *viro*.
Respice Phylaciden et quae *comes isse marito*
Fertur et ante annos occubuisse suos.
Fata Pheretiadae coniunx Pagasia redemit:
Pro viro est uxor funere lata viri.
Accipe me, Capaneu! cineres miscebimus, inquit
Iphias, in medios desiluitque *rogos*.

Solus enim hic uxorum fidelium circulus in Ovidii carminibus et prioris et posterioris aetatis elegiacis invenitur ob eamque causam locus ille A. A. III 15—22 summi momenti erit ad Ovidii rationem scribendi iudicandam. Nunc autem perquirendum est, utrum Ovidius illum fabularum ordinem ipse sibi composuerit an ex alio quodam poeta sua in carmina transtulerit. Quam ad quaestionem diiudicandam duo Propertii loci, I 15, 9—22 et II 6, 25—26 considerandi sunt. Conferuntur illis locis Calypso, Hypsipyle, Alphesiboea, Euadne, Penelope. Sed Euadne Penelopeque tantum ab Ovidio quoque afferuntur neque Propertii genus scribendi ullo modo cum Ovidiano consentit, quibus de causis Ovidium illos versus Propertianos sibi exemplum assumpsisse mihi persuadere non possum. Qua re veri simile fit Ovidium illius circuli et res et verba ipsum sibi composuisse.

Dum Ovidius quod ad quatuor circulos antea tractatos pertinet, non modo illos ipsos iteravit, sed etiam diversis locis eadem ratione usus est, qua illos carminibus insereret et cum sententiis et propositis et postpositis coniungeret, seriem uxorum fidelium quinque locorum, quibus legitur, quoque alio modo cum ceteris carminis sententiis conexuit. Restant autem complures loci, quibus diversi, quos significavimus fabularum ordines ad eandem rem explicandam cum eadem sententia ab initio posita coniuncti simili conexui inserti sunt. Quas proprietates ostendunt versus Trist. I 5, 17—26 et V 5, 49—60. Prior enim locus exorditur hoc modo:

Si tamen haec navis vento ferretur amico,
Ignoraretur forsitan ista fides.

Secuntur heroum, qui amicis suis summam fidem praebuerunt, exempla versibus 19—24 (cf. p. 60) concluditurque explicatio disticho, quod adscripsi:

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides [1]).

Argumentum igitur, quo tertium comparationis continetur, hoc est: fides in rebus adversis aspicitur. Totum autem carmen Trist. I 5 sodali cuidam fidissimo mittitur eiusque fides cum heroibus illis comparatur. Altero loco, Trist. V 5, 49—60, de Ovidii uxoris fide agitur et eadem ratione fidelium uxorum enumeratio inseritur. Atque argumenti propositi verba sunt haec:

Scilicet adversis probitas exercita rebus
Tristi materiam tempore laudis habet.

Adiunguntur exempla Penelopes, Euadnes, Alcestis, Laodamiae (cf. p. 63) totaque descriptio finitur argumento:

Et tua, quod mallem, pietas ignota maneret,
Implerent venti si mea vela sui.

Ovidius non modo easdem sententias, sed etiam eandem imaginem iteravit (cf. Trist. I 5, 17 et V 5, 60) et quidem ita, ut verbis quoque sibi respondent versus et introductionis et conclusionis, id quod luce clarius apparet ex comparatione versuum

1) Similis sententia iteratur Trist. III 4, 1—2:
O mihi care quidem semper, sed tempore duro
Cognite, res postquam procubuere meae.

Trist. I 5, 17—18. Si tamen haec navis *vento* ferretur amico,
Ignoraretur forsitan ista *fides.*
et Trist. V 5, 59—60. Et tua, quod mallem, pietas *ignota maneret,*
Implerent *venti* si mea vela sui.

Trist. I 5, 26. *Tempore* sic *duro* est inspicienda *fides.*
et Trist. V 5, 50. *Tristi* materiam *tempore* laudis habet (sc. probitas).

Etiam forma, qua fabulae per se diversae enuntiantur, aliquatenus iteratur, quod recte me dixisse cognosces comparatis distichis

Trist. I 5, 23—24. *Si non* Euryalus Rutulos cecidisset in hostes,
Hyrtacidae Nisi *gloria nulla foret.*
et Trist. V 5, 51—52. *Si nihil* infesti durus vidisset Ulixes,
Penelope felix, sed *sine laude foret.*

Memorabile quidem est, prioris loci initium fini posterioris et illius conclusionem proposito huius loci respondere, sed ille ordo distichorum propter utriusque carminis argumenta necessarius est. In initio enim carminis Trist. I 5 Ovidius se sodalis fidei, quam summa in calamitate perspexerit, nunquam obliturum pronuntiat pergitque exponere, fidem illam fortasse sibi ignotam manere potuisse, si in calamitatem non incidisset, quae sententia optime exprimitur versibus: Si tamen haec navis e. q. s. Altero in carmine uxoris probitatem fidemque laudat, deinde his virtutibus non gaudium, sed laborem curamque ei obtigisse declarat (cf. v. 46—48). Tali sententiarum conexui optime adiungitur distichon: Scilicet adversis e. q. s. Quamquam igitur ordo sententiarum altero loco nonnihil discrepat et diversa exempla proferuntur, tamen quia utriusque loci structura, singulae sententiae, forma

dicendi, quin etiam aliqua parte eadem verba iterantur, posteriorem locum prioris imitationem iudico.

Simili ratione conectuntur versus quoque Trist. V 14, 31—40 et ex Pont. III 2, 31—34. Utroque enim loco exponitur, virtutis honorem morte non finiri, sed per omnia saecula manere, id quod fit versibus

Trist. V 14, 31—34. Si qua tamen pretii sibi (sc. virtuti) merces ipsa petiti
Inque parum laetis ardua rebus adest,
Ut tempus numeres, per saecula nulla tacetur
Et loca mirantur, qua patet orbis iter.

itemque versibus

ex Pont. III 2, 31—32. Corpora debentur maestis exsanguia bustis:
Effugiunt structos nomen honorque rogos.

Tum priore loco uxores fide insignes afferuntur versibus

Trist. V 14, 35—40. Aspicis ut teneat longo laudabilis aevo
Nomen inextinctum Penelopea fides?
Cernis ut Admeti cantetur et Hectoris uxor,
Ausaque in accensos Iphias ire rogos?
Ut vivat fama coniunx Phylaceia, cuius
Iliacam celeri vir pede pressit humum?

At altero loco, ex Pont. III 2, 33—34, non uxorum, sed amicorum fidelium exempla leguntur hoc modo:

Occidit et Theseus et qui comitavit Oresten:
Sed tamen in laudes vivit uterque suas.

Consilium autem utriusque loci idem est itemque ratio, qua exempla adiunguntur, id quod apparet ex prioris loci verbis *‚vivat fama‘ ‚teneat nomen‘ ‚cantetur‘* et ex posterioris voce *‚in laudes vivit‘*. Itaque illis quoque locis de-

monstratur, Ovidium etiam diversos fabularum ordines ad eandem rem demonstrandam compluribus locis eodem modo carminibus inseruisse, ita ut imitatio negari non possit.

Summa ergo est eorum, quae de fabularum mythologicarum circulis exposui, Ovidium, Propertii rationem accurate imitatum, cuius unum fabularum circulum minime mutatum sua in carmina transtulit, fabulas, quae argumentorum quadam similitudine sibi responderent, ita coniunctas, ut certi ordines exsisterent, omnibus locis iterasse, quibus propter carminum res id facere ei liceret. Neque fabularum ordines modo retractasse, sed etiam saepius easdem sententias adhibuisse, quibus cum reliquis carminum argumentis conecteret, ita ut et consilium scribendi et conexus singulorum argumentorum, quin etiam magna ex parte verba iterarentur.

B. De iteratis singularium fabularum copiosis explicationibus.

Ovidius in fabulis describendis non unam tantum illam rationem iniit, cui perquirendae modo operam dedi, sed non minus frequentavit scribendi genus ab illo diversum, quin etiam contrarium. Nam non complures fabulas una serie coniunxit, sed unam tantum elegit neque illam breviter uno, maxime duobus distichis adumbravit, sed larga explicatione magnaque verborum copia enarravit. Ut autem circulos illos, ita amplas singularium fabularum descriptiones iterare adeo non evitavit, ut in eiusmodi quoque tractationibus sui imitator factus sit, id quod paulo accuratius declarare mihi propositum est.

Cuius generis explicationis optimum exemplum praebent loci Trist. I 5, 57—84 et ex Pont. I 4, 23—44, quorum

priore Ulixes et Ovidius, altero Iason et Ovidius comparantur. Utroque loco Ovidius eundem comparandi modum constanter adhibuit. Pericula enim, quae sive Ulixes sive Iason subiit, cum Ovidianis ita componuntur, ut unicuique illorum Ovidii malum idque quidem maius opponatur. Maxime autem mirandum est, quod, quamquam in priore carmine Ulixes cum Ovidio, in posteriore Iason cum eodem comparatur, tamen de utriusque rebus ita agitur, ut singula disticha quoque optime sibi respondeant. Illud recte dictum apparet ex comparatione locorum, quos infra composui.

Trist. I 5, 59 – 62. Ille (sc. Ulixes) *brevi spatio* multis erravit in annis
Inter Dulichias Iliacasque domus.
Nos freta sideribus totis distantia mensis
Detulit in Geticos *Caesaris ira* sinus.

ex Pont. I 4, 29—32. *Caesaris ira* mihi nocuit, quem solus ab ortu,
Solus ad occasus utraque terra tremit.
Iunctior Haemonia est Ponto, quam Roma, sinistro
Et *brevius,* quam nos, ille peregit *iter* (sc. Iason).

Trist. I 5, 63—64. *Ille* (Ul.) *habuit* fidamque manum sociosque fideles:
Me *profugam comites deseruere* mei.

ex Pont. I 4, 33—34. *Ille* (Ias.) *habuit comites* primos telluris Achivae:
At nostram cuncti *destituere fugam.*

Trist. I 5, 75—76. Me deus oppressit, nullo mala nostra levante:
Bellatrix illi (Ul.) diva ferebat opem.

ex Pont. I 4, 39—40. Illum (Ias.) tutata est cum Pallade regia Iuno:
Defendere meum numina nulla caput.

Trist. I 5, 81—84. Denique quaesitos tetigit tamen ille (Ul.) penates,
Quaeque diu *petiit*, contigit *arva* tamen.
At mihi perpetuo patria tellure carendum est,
Ni fuerit *laesi* mollior *ira dei*.
ex Pont. I 4, 43—44. Ille (Ias.) domum *rediit*. nos his moriemur *in arvis*,
Perstiterit *laesi* si gravis *ira dei*.

Quamquam res, quae in utriusque comparationis distichis non exscriptis tractantur, et argumentis et enuntiatione non nihil inter se discrepant, id quod aliter fieri non potuit, quia diversae fabulae describuntur, et quamquam concedendum est, cum fabulae Ulixis et Iasonis iis rebus, quas continent, aliquatenus secum consentiant, in accurata utriusque fabulae argumentorum explicatione similes quoque nonnullas res proferri debere, ita ut duplex harum descriptio per se nondum imitatio existimari possit, mea quidem sententia imitatio perspicua fit ratione modoque, quo similes illae res exponuntur. Utriusque enim loci argumenta eodem contextu cohibentur, quia et illic et hic primum de itineris longitudine, deinde de comitibus, tum de deorum auxilio, denique de reditu agitur. Accedit, quod idem genus scribendi utroque loco adhibetur, quin etiam verba magna ex parte iterantur. Cuiusmodi consensum fortuitum esse mihi persuadere non possum ob eamque causam Ovidium posteriore loco priorem esse imitatum contendo. Digni quoque mihi videntur, qui hoc loco commemorentur, versus

Trist. III 11, 61—62. Crede mihi, si sit nobis collatus Ulixes
Neptuni minor est, quam *Iovis ira* fuit.

quia et sententiis et verbis penitus cohaerent cum loci antea tractati, Trist. I 5, versibus
77—78. Cumque *minor Iove* sit, tumidis qui regnat in undis,
Illum *Neptuni*, me *Iovis ira* premit.

ut illos horum esse imitationem nemo negare possit. Quia accuratam fabulae cuiusdam expositionem iterant, non sunt neglegendi loci Trist. IV 4, 63—82 et ex Pont. III 2, 45—96. Utroque loco fabula ad amicitiam quae intercessit inter Pyladem et Orestem pertinens, quam in priore huius partis capite (cf. p. 60) breviter significatam et circulo insertam invenimus, diligentissime explicatur. Eo autem hi loci cum illis, quos initio huius capitis descripsi, conveniunt, quod argumentorum conexus, quem prior locus praebet, altero loco plane redintegratur. Nam in utroque loco primum regio Taurica depingitur (cf. Trist. IV 4, 63—64 et ex Pont. III 2, 45—46), deinde Thoas, illius regionis rex, nominatur (Trist. IV 4, 65—66 et ex Pont. III 2, 59—60), tum Iphigenia sacra Dianae deae colens describitur (Trist. IV 4, 67—68 et ex Pont. III 2, 61—66), denique adventus Orestae et Pyladis narratur (Trist. IV 4, 69—72 et ex Pont. III 2, 69—70). Summi autem momenti sunt versus, qui secuntur.
Trist. IV 4, 73—74. *Protinus evincti* tristem *ducuntur ad aram*,
Quae stabat *geminas* ante cruenta fores.
et ex Pont. III 2, 71—72. *Protinus* inmitem Triviae *ducuntar ad aram*
Evincti geminas ad sua terga manus.

Nam quod ad seriem illam argumentorum prioris loci posteriore iteratam pertinet, dixerit quis, necesse esse, ut illa

convenientia semper proveniat, quotienscunque fabula ordine, ut gesta est, enarretur ob eamque causam illam per se imitationem haberi non licere. Accedit quod fabulae conclusio altero loco, ex Pont. III 2, 72—96, aliter se habet ac priore, Trist. IV 4, 74—82, quia posterioris carminis aliud est ac prioris consilium. Attamen profecto imitationem factam esse versibus illis, quos exscripsi, certissime demonstratur, quod accuratissimus ille verborum consensus effici non potuit, nisi ille locus Ovidio scribenti ante oculos observatus est. Breviter hoc loco comparandus est versus quoque Trist. I 5, 21:

Ut foret *exemplum veri Phoceus amoris,*

quem iam in priore huius partis capite commemoravi (cf. p. 60), cum loci antea tractati, Trist. IV 4, versu 71:

Et comes *exemplum veri Phoceus amoris.*

quia his verbis denuo nimiam illam imitandi cupiditatem cognoscimus.

Iterationes fabularum explicatarum adhuc commemoratae in eodem carminum genere, id est in carminibus elegiacis in exilio scriptis, inveniuntur. Sed sicut, cum de fabularum circulis iteratis agebatur, exemplum quoddam invenimus eiusmodi, ut eadem fabularum series in carminibus et ante et post exilium scriptis iteraretur (cf. p. 64), ita etiam singularium fabularum verbosae descriptiones in carminibus et prioribus et posterioribus, quin etiam in diversis poesis generibus iteratae exstant. Cuiusmodi in iterationum numero habendi sunt duo loci A. A. I 647—656 et Trist. III 11, 39—54. Commemorantur enim utroque loco duae fabulae, quarum altera Busiridis, regis Aegypti, altera Phalaridis, tyranni Agrigentinorum, crudelitas describitur. Modus quidem inserendi hoc loco alius est quam illo: priore enim fabulis illis demonstranda est sententia, qua declaratur, iis saepe cassibus incidere homines, quos aliis praeparaverint, altero

autem loco comparatio fit Busiridis Phalaridisque cum inimico quodam poetae. Tamen cum non modo materia eadem sit, sed etiam partim verba iterentur, quod apparet ex comparatione versuum

A. A. I 654. Torruit. infelix *imbuit* auctor *opus.*
et Trist. III 11, 52. Ipse tuum praesens *imbue,* dixit, *opus.*

Ovidium hoc locum illum imitatum esse verisimile puto. Breviter illud quoque moneam Phalaridis fabulam solam duobus aliis locis iterari, qui propter rerum et verborum conexum praetermittendi non sint, dico versus

Trist. V 1, 53—54. Ipse *Perilleo* Phalaris permisit in *aere*
Edere mugitus et bovis ore queri.
Ib. 435—436. *Aere Perilleo* veros imitere iuvencos
Ad formam tauri conveniente sono.

Multo autem graviores sunt iterationes, quae in libris Artis Amatoriae et Metamorphoseon leguntur. Ac primum quidem huc spectant loci A. A. II 21—96 et Met. VIII 183—235, quorum utroque fabula Daedali et Icari summa verborum copia explanatur. Profecto posteriorem prioris loci imitationem esse docent permulta argumenta verbotenus iterata, quae infra adieci.

A. A. II 45. Remigium volucrum *disponit in ordine pinnas.*
Met. VIII 189. Naturamque vocat. nam *ponit in ordine pennas.*

A. A. II 49. *Tractabat ceram*que *puer* pinnasque *renidens.*
Met. VIII 195—198. . . . . . . puer Icarus una
Stabat et ignarus sua se *tractare* pericla
Ore *renidenti* modo quas vaga moverat aura
Captabat plumas, flavam modo pollice *ceram* etc.

A. A. II 67. Inde sibi factas *umeris accommodat alas.*
Met. VIII 209. Tradit et ignotas *umeris accommodat alas.*

A. A. II 69. Iamque volaturus parvo *dedit oscula nato.*
Met. VIII 211. . . . . . *dedit oscula nato.*

A. A. II 81. *Dextra Lebynthos erat* silvisque umbrosa *Calymne*
Met. VIII 222. *Dextra Lebynthos erat* fecundaque melle *Calymne.*

A. A. II 83—84. Cum puer incautis, nimium temerarius annis,
Altius egit iter deseruitque patrem.
Met. VIII 223—225. *Cum puer* audaci coepit gaudere volatu,
Deseruitque ducem caelique cupidine tractus
Altius egit iter.

A. A. II 89. *Tabuerant cerae. nudos quatit ille lacertos.*
Met. VIII 227. *Tabuerant cerae, nudos quatit ille lacertos.*

A. A. II 93—95. *At pater infelix, nec iam pater, ‚Icare!'* clamat
‚Icare' clamat *‚ubi es,* quove sub axe volas?'
‚Icare' clamabat, *pinnas aspexit in undis.*
Met. VIII 231—233. *At pater infelix, nec iam pater, ‚Icare'* dixit,
‚Icare' dixit *‚ubi es?* qua te regione requiram?
‚Icare' dicebat, *pennas aspexit in undis.*

Duae illae fabulae Daedali et Icari descriptiones gravissimum exemplum praebent, ex quo cognoscitur, quatenus Ovidius in imitandis copiosis narrationibus processerit. Congruentia enim enuntiationis et verborum, qualis in versibus prolatis invenitur, fortuito, poeta inscio, exstitisse non potest, sed ab illo si non petita, at certe cognita esse debet. Qua re demonstratur, Ovidium, etiamsi iterationis bene sibi esset conscius, tamen a ratione priore loco adhibita recedere non voluisse.

Deinde pauca mihi dicenda sunt de fabulae Cephali et Procridis descriptionibus, quae inveniuntur A. A. III 685—746 et Met. VII 804—862. Primo enim obtutu imitatio negari posse videtur, quia fabulae res altero loco aliter se habent ac priore leguntur. Nam cum in Arte Amatoria Procris a Cephalo vulneratur, postquam ipsa sese errasse cognovit (cf. A. A. III 727 sqq.), in Metamorphoseon loco fatalis ille error tum demum Cephali verbis aperitur, cum Procris iam vulnerata eum rogat, ne ‚Auroram' in matrimonium ducat. Quamquam igitur loci illi rebus, quae insunt, valde inter se distincti sunt, tamen nonnullae sententiae etiam verbis, quibus exponuntur, tam accurate sibi respondent, ut imitatio habenda sit. Qui quidem versus leguntur

A. A. III 696—697. ‚Quae'que ‚meos *releves aestus', cantare solebat,*
Accipienda *sinu,* mobilis *aura, veni'.*
et Met. VII 813—815. *‚Aura',* recordor enim, *‚venias', cantare solebam,*
‚Meque iuves, intresque *sinus,* gratissima, nostros,
Utque facis, *relevare* velis, quibus urimur, *aestus'.*

itemque sibi respondent

A. A. II 67. Inde sibi factas *umeris accommodat alas.*
Met. VIII 209. Tradit et ignotas *umeris accommodat alas.*

A. A. II 69. Iamque volaturus parvo *dedit oscula nato.*
Met. VIII 211. . . . . . *dedit oscula nato.*

A. A. II 81. *Dextra Lebynthos erat* silvisque umbrosa *Calymne*
Met. VIII 222. *Dextra Lebynthos erat* fecundaque melle *Calymne.*

A. A. II 83—84. Cum puer incautis, nimium temerarius annis,
Altius egit iter deseruitque patrem.
Met. VIII 223—225. *Cum puer* audaci coepit gaudere volatu,
Deseruitque ducem caelique cupidine tractus
Altius egit iter.

A. A. II 89. *Tabuerant cerae. nudos quatit ille lacertos.*
Met. VIII 227. *Tabuerant cerae, nudos quatit ille lacertos.*

A. A. II 93—95. *At pater infelix, nec iam pater,* ,*Icare!*' clamat
,*Icare*' clamat ,*ubi es*, quove sub axe volas?'
,*Icare*' clamabat, *pinnas aspexit in undis.*
Met. VIII 231—233. *At pater infelix, nec iam pater,* ,*Icare*' dixit,
,*Icare*' dixit ,*ubi es?* qua te regione requiram?
,*Icare*' dicebat, *pennas aspexit in undis.*

Duae illae fabulae Daedali et Icari descriptiones gravissimum exemplum praebent, ex quo cognoscitur, quatenus Ovidius in imitandis copiosis narrationibus processerit. Congruentia enim enuntiationis et verborum, qualis in versibus prolatis invenitur, fortuito, poeta inscio, exstitisse non potest, sed ab illo si non petita, at certe cognita esse debet. Qua re demonstratur, Ovidium, etiamsi iterationis bene sibi esset conscius, tamen a ratione priore loco adhibita recedere non voluisse.

Deinde pauca mihi dicenda sunt de fabulae Cephali et Procridis descriptionibus, quae inveniuntur A. A. III 685—746 et Met. VII 804—862. Primo enim obtutu imitatio negari posse videtur, quia fabulae res altero loco aliter se habent ac priore leguntur. Nam cum in Arte Amatoria Procris a Cephalo vulneratur, postquam ipsa sese errasse cognovit (cf. A. A. III 727 sqq.), in Metamorphoseon loco fatalis ille error tum demum Cephali verbis aperitur, cum Procris iam vulnerata eum rogat, ne ,Auroram' in matrimonium ducat. Quamquam igitur loci illi rebus, quae insunt, valde inter se distincti sunt, tamen nonnullae sententiae etiam verbis, quibus exponuntur, tam accurate sibi respondent, ut imitatio habenda sit. Qui quidem versus leguntur

A. A. III 696—697. ,Quae'que ,meos *releves aestus*', *cantare solebat*,
Accipienda *sinu*, mobilis *aura, veni*'.
et Met. VII 813—815. ,*Aura*', recordor enim, ,*venias*', *cantare solebam*,
,Meque iuves, intresque *sinus*, gratissima, nostros,
Utque facis, *relevare* velis, quibus urimur, *aestus*'.

itemque sibi respondent

A. A. III 737. *,Ei mihi!' conclamat.*
et Met. VII 843. *,Ei mihi!' conclamat.*

Iamiam transgredimur ad fabulas perquirendas, quae in libris Metamorphoseon et Fastorum nobis occurrunt. Quarum primam commemoro fabulam Callistus, quae legitur locis Met. II 409—530 et Fast. II 155—192. Quod illa et in illis et in his carminibus exstat, propter res quas continet, necessarium est ob eamque causam duplex illa tractatio per se nondum imitatio aestimanda est. Re vera autem imitatio fit prioris loci genere scribendi altero iterato. Quam ad rem demonstrandam satis est versus illuc spectantes infra conferre.

Met. II 460—461. . . . cunctae *velamina ponunt.*
Una *moras* quaerit.

Fast. II 169—170. . . . nymphae *velamina ponunt:*
Hanc pudet, et tardae dat mala signa *morae.*

Met. II 464—465. ,I procul hinc', *dixit ,nec* sacros *pollue* fontes,
Cynthia, deque suo iussit abisse *coetu.*

Fast. II 173—174. Cui dea ,Virgineos, periura Lycaoni, *coetus*
Desere *nec* castas *pollue' dixit* ,aquas'.

Idem dicendum est de locis Met. XIV 805—828 et Fast. II 481—496, quibus de Romulo consecrato agitur. Primum enim res utroque loco eaedem proferuntur, deinde verborum accuratus concentus accedit: dico versus

Met. XIV 814—816. *,Unus erit, quem tu tolles in caerula caeli':*
Dixisti, rata sit verborum summa tuorum'.
Annuit omnipotens.

et Fast. II 487—489. *,Unus erit, quem tu tolles in caerula caeli',*

Tu mihi *dixisti. ,sint rata* dicta Iovis'.
Iuppiter *annuerat.*

ita ut imitatio negari non possit.

Denique in libris et Metamorphoseon et Fastorum fabula Proserpinae a Plutone raptae tractatur locis Met. V 385 sqq. et Fast. V 421 sqq. Illarum quoque descriptionum utramque per se esse factam non posse, sicut in locis antea prolatis, demonstratur nonnullis versibus, qui quam optime sibi respondent, ut apparet ex enumeratione, quae sequitur.

Met. V 394—395. Dumque puellari studio *calathosque sinumque*
Implet, ...

Fast. IV 435—436. Haec *implet* lento *calathos* e vimine nexos
Haec gremium, laxos degravat illa *sinus.*

Met. V 526. Verum amor est. *neque erit nobis gener ille pudori.*

Fast. IV 597—598. Iuppiter hanc lenit, factumque excusat *amore,*
,Nec gener est nobis ille pudendus' ait.

Met. V 534—536. Non ita fata sinunt, quoniam *ieiunia virgo*
Solverat et cultis dum simplex errat in hortis,
Poeniceum curva decerpserat arbore *pomum.*

Fast. IV 607—608. ,Rapta tribus' dixit *,solvit ieiunia* granis
Punica quae lento cortice *poma* tegunt'.

Iam nihil aliud restat ad hoc caput perficiendum quam ut fabulae Telephi ab Achille et vulnerati et sanati iterationes perquiramus. Nam etiamsi illa fabula non copiose explicatur, sed breviter tantum significatur, ea de causa illam

quaestionis fini reservari, quod ratio, qua usus est Ovidius in fabulis adhibendis, hoc exemplo optime illustratur. Nominandi sunt loci

Trist. I 1, 97—100. (Poeta librum suum adloquitur)

Luce bona dominoque tuo felicior ipso
Pervenias illuc et mala nostra *leves.*
Namque ea vel nemo vel, *qui mihi vulnera fecit,*
Solus Achilleo tollere more potest.

Trist. II 19—21. Forsitan ut quondam Teuthrantia regna tenenti,
Sic mihi res eadem *vulnus opemque ferat,*
Musaque, quam movit, motam quoque *leniet,* iram.

Trist. V 2, 15—18. *Telephus* aeterna consumptus tabe perisset,
Si non, quae nocuit, *dextra tulisset opem.*
Et mea, si facinus nullum commisimus, opto
Vulnera, qui fecit, facta *levare velit.*

ex Pont. II 2, 21. Profuit et Myso *Pelias hasta* duci.

Quibus cum locis comparandi sunt versus

Met. XII 112. Fluxit, *opem*que meae bis *sensit Telephus hastae.*

Am. II 9, 7—8. Quid, non *Haemonius* quem *cuspide* perculit heros
Confossum medica postmodo iuvit *ope?*

et imprimis versus

Rem. A. 43—48. Discite sanari, per quem didicistis amare:
Una manus vobis *vulnus opemque feret.*
Terra salutares herbas, eademque nocentes
Nutrit et urticae proxima saepe rosa est.
Vulnus in Herculeo quae quondam fecerat hoste,
Vulneris auxilium *Pelias hasta tulit.*

Omnes fere illos locos Otto composuit l. c. part. I p. 21, quo de Propertii loco II 1, 63—64:

Mysus et *Haemonii* iuvenis qua *cuspide vulnus*
Senserat, hac ipsa *cuspide sensit opem*

illisque Graecorum autorum verba facit, qui eandem fabulam simili ratione descripserunt. Probasse videtur Otto iis, quae protulit, Propertium hausisse ex fonte Alexandrino et quidem ex Callimacho. Ovidium autem Propertium ipsum imitatum esse mea quidem sententia recte demonstravit vir ille doctus comparato loco illo Propertiano cum Ovidii versibus

Am. II 9, 7—8. Quid, non *Haemonius,* quem *cuspide* perculit heros,
Confossum medica postmodo iuvit *ope?*

At non solum ipsius fabulae iterationes commemorandae sunt, sed etiam ratio perquirenda est, qua Ovidius illam carminibus inseruit et cum illorum argumentis coniunxit. Quae de locis Trist. I 1, 97—100 et II 19—21 dicenda putaverim, in altero prioris partis capite exposui (cf. p. 30). Locus Trist. V 2, 15—18 ea modo re a duobus illis discernitur, quod hoc loco Ovidius vulnera sibi ab Augusto, non libris suis sive musa sua, ut illis locis, facta testatur. Loco denique R. A. 43—48 poeta ipse cum Achille comparatur. Quod autem alio loco musa, alio liber, alio Augustus, alio denique Ovidius vulnerantis et medentis partes agit, illa discrepantia uniuscuiusque carminis, cui comparatio inserta est, consilio sententiisque mota est et evitari plane non potuit. Neque id quoque, quod ad sententiam, quae exponitur, vulnus ab eo, qui fecit, sanari posse, illustrandam una eademque fabula adicitur, vituperandum est, quia ex tota mythologia, nisi fallor, unum illud exemplum solum quadrat. At mea sententia valde est improbandum idque de omnibus fere locis dici potest, quos adhuc collegi, Ovidium, quocunque loco

carminis res et argumentorum conexus facultatem darent, ut sententiam quandam insereret et fabularum exempla adiungeret, et sententiam illam et fabulas semper iterasse. Accedit, quod permultis locis, quamquam pars illorum ante, pars post exilium scripta est, quin etiam altera alteri poesis generi est adnumeranda, eadem forma loquendi eademque verba repetuntur, quod non solum ad verbosas singularium fabularum explicationes hoc in capite tractatas, sed etiam ad unum illum fabularum ordinem in capite antecedenti descriptum pertinet (cf. p. 64). Quae res peridonea est ad confirmandum iudicium, quod fine prioris partis ut verisimile explicavi, ex quo contendi, Ovidii rationem scribendi indolemque poeticam omnibus in carminibus plane sibi constare. Recte igitur de ea re iudicavit Manso [1]), libros Tristium et ex Ponto res continere contrarias [2]), at poetica arte et indole prioris aetatis carminibus plane esse exaequanda.

Ut autem de Ovidio sui imitatore recte iudicari possit, reliquos illius aetatis poetas Romanos, qui similes res tractaverint, perquiri necessarium est, ut cognoscatur, utrum in illis quoque eadem proprietas inveniatur, quae in Ovidio, necne. Nam si, quod ad illam rem pertinet, eodem numero habendi sunt, quo Ovidius, eiusmodi imitationes ipsius generis et aetatis poesis proprias et, cum poetae indolem artemque per se iudicare vis, haud magni momenti esse apparet.

Quod ad Catullum attinet, qui propter nonnullorum carminum et formam et res quodammodo auctor elegiacae Romanorum poesis existimandus neque ob eam causam hac in quaestione neglegendus est, perpauci eiusmodi loci in illo ex-

1) Manso, ‚Ueber die römischen Elegiker Tibull, Properz, Ovid'. in libellis, qui inscribuntur: Nachträge zu Sulzer's Theorie der schönen Künste III 2, p. 375.

2) Ne id quidem de omnibus locis dici posse vidimus.

stant, qui cum imitationibus Ovidianis comparari possint. Eaedem enim res iterantur versibus 60, 1—3 et 64,154—156; 68, 19—24 et 91—96; 64, 95 et 68, 17—18; 70, 1—2 et 72, 1—2. Illos locos pro tanta argumentorum multitudine et varietate, quanta inest in Catullo, nihil valere primo obtutu apparet.

Iam si transimus ad Tibullum, uno loco II 2, 5—8 ipse se imitatus est, quia ille et rebus et verbis respondet versibus I 7, 49—52. De quinque locis I 2, 17—22; I 6, 9—20; I 8, 55—60; II 1, 75—80; IV 6, 11—12, qui fortasse in quaestionem vocari possunt, iamiam in initio dissertationis (cf. p. 7) egi et demonstravi Tibullum, quamquam similes res saepius tractaret, tamen ratione inserendi verbisque quam maxime variatis imitationem evitasse. Sed licet illos quoque locos imitationes existimes, tamen Tibulliana ratio quam maxime abhorret ab Ovidiana.

Idem fere, quod de quinque illis Tibulli locis, dicendum est de Propertianis versibus II 1, 65—70; III 9, 5—10 (II 17); III 13, 27—32 (II 20); IV 4, 42—44 (III 5), V 11, 23—25 (IV), quibus fabulae eorum, qui apud inferos cruciantur, compositae sunt ita, ut et consilium et conexus sententiarum et enuntiatio alio loco aliter se habeat. Re vera autem imitationes aestimandae sunt loci Propertiani III 6, 9—10 (II 14) et III 7, 39—40 (II 15), itemque III 20, 23—24 (II 25) et IV 6, 36 (III 7). Perpaucos illos locos pro summa illa Ovidianarum imitationum multitudine nullius momenti esse per se patet.

Denique in Lygdami carminibus eadem sententia iteratur tribus locis 4, 96; 6, 27. 50.

Ex iis, quae protuli, Ovidii rationem et in rebus et in fabulis describendis adhibitam valde ab ea distinctam esse apparet, qua usi sunt reliqui illius aetatis poetae Romani,

quorum in carminibus similes res tractatae inveniuntur atque in Ovidio. Itaque nimia illa cupiditas sui imitandi unius Ovidii propria summique momenti est ad illius indolem artemque recte aestimandam. Concedamus, iterationes singulorum verborum et loquendi moris, quod ad singulos versus attinet, proprietate latini sermonis, qui metro et hexametri et pentametri haud idonea fuit, motas esse neque plane evitari potuisse [1]), concedamus quoque, quia Catullus, Tibullus, Propertius, quae in elegiaco poesis genere tractari possunt, praeceperant, coactum fuisse Ovidium, ut saepius res iamiam ab illis descriptis denuo tractaret [2]), id quod de parte tantum carminum Ovidianorum dici potest, at nulla causa erat, quae eum cogeret, ut et res, quas ex illis hauserit, et res, quas ipse primus tractaverit, permultis locis ita iteraret, ut omnes illi quoque modo sibi responderent. Rem permultis locis ita se habere explicationibus meis demonstratum est, ut reiciendum sit iudicium, quod protulit Bernhardius [3]): Ovidium praebere inexhaustam cogitationum copiam neque unquam plane se iterare. Acute de Ovidii proprietatibus iudicavit Hertzberg [4]), cum diceret: ‚Ovidii ratio a ceteris (sc. elegiacis) facillime segregatur. Huius enim virtutes fere omnes in vitia illis similia passim transierunt. Quod unicuique eveniat, qui lasciviente ingenio ipse se imitatus modum aucupio delectationis invenire nequeat‘, et paulo infra: ‚Sed levitati, quae ante omnia eius animi propria erat, cedens, qualecunque argumentum ludens occupavit‘. Idem fere Ovidio exprobravit Hauptius quoque in opusculorum tomi tertii pagina 206. Revera

1) Cf. Zingerl. l. c. II p. 115—118.
2) Cf. Zingerl. l. c. I p. 133.
3) Bernhardius, Hist. litt. Rom. ed. 4 p. 519.
4) Hertzberg, De poetarum elegiacorum apud Romanos principum ingenio et arte. Progr. Halberstadt 1842.

Ovidius ‚nimium sui amator‘ [1]) ipse se coercere non potuit. Nam nisi summae neglegentiae levitatisque fuisset, cognoscere debuit argumenta, quae cum primum leguntur, placere et delectare possint, saepius iterata taedio esse debere et intentionem atque studium legentis relaxare et attenuare. Omnia illa vitia optime comprehenduntur et quam breviter tam facete significantur verbo illo Senecae [2]), quo quaestionis finem faciam:

‚Ovidius nescit, quod bene cessit, relinquere‘.

1) Quint. Inst. Orat. X 1, 88.
2) Seneca, Controv. IV 28, 17.

Index locorum.

Sentententiae controversae.

---

1. Versus Theognidei 705—712:

ἥτε βροτοῖς παρέχει λήθην, βλάπτουσα νόοιο.
  ἄλλος δ' οὔ πώ τις τοῦτό γ' ἐπεφράσατο,
ὅντινα δὴ θανάτοιο μέλαν νέφος ἀμφικαλύψῃ,
  ἔλθῃ δ' ἐς σκιερὸν χῶρον ἀποφθιμένων,
κυανέας τε πύλας παραμείψεται, αἵτε θανόντων
  ψυχὰς εἴργουσιν καίπερ ἀναινομένας·
ἀλλ' ἄρα καὶ κεῖθεν πάλιν ἤλυθε Σίσυφος ἥρως
  ἐς φάος ἠελίου σφῇσι πολυφροσύναις·

contextum loci, cui inserti sunt, valde dirumpunt camque ob causam eiiciendi sunt, ita ut coniungantur versus 699—704:

Πλήθει δ' ἀνθρώπων ἀρετὴ μία γίνεται ἥδε,
  πλουτεῖν· τῶν δ' ἄλλων οὐδὲν ἄρ' ἦν ὄφελος,
οὐδ' εἰ σωφροσύνην μὲν ἔχοις Ῥαδαμάνθυος αὐτοῦ,
  πλείονα δ' εἰδείης Σισύφου Αἰολίδεω,
ὅστε καὶ ἐξ Ἀίδεω πολυιδρίῃσιν ἀνῆλθε,
  πείσας Περσεφόνην αἱμυλίοισι λόγοις,

cum versu 713 sqq.:

οὐδ' εἰ ψεύδεα μὲν ποιοῖς ἐτύμοισιν ὁμοῖα,
  γλῶσσαν ἔχων ἀγαθὴν Νέστορος ἀντιθέου,

ὠκύτερος δ' εἴησθα πόδας ταχεῶν Ἁρπυιῶν
  καὶ παίδων Βορέω, τῶν ἄφαρ εἰσὶ πόδες.
ἀλλὰ χρὴ πάντας γνώμην ταύτην καταθέσθαι,
  ὡς πλοῦτος πλείστην πᾶσιν ἔχει δύναμιν.

2. Versus Theognidei 173—182 hoc in ordine legendi sunt:

173 Ἄνδρ' ἀγαθὸν πενίη δάμνησι μάλιστα,
174   καὶ γήρως πολιοῦ, Κύρνε, καὶ ἠπιάλου.
177 καὶ γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος οὔτέ τι εἰπεῖν
178   οὔθ' ἔρξαι δύναται, γλῶσσα δὲ οἱ δέδεται.
179 χρὴ δ' ἄρ' ὁμῶς ἐπὶ γῆν τε καὶ εὐρέα νῶτα θαλάσσης
180   δίζησθαι χαλεπῆς, Κύρνε, λύσιν πενίης,
175 ἣν δὴ χρὴ φεύγοντα καὶ ἐς βαθυκήτεα πόντον
176   ῥιπτεῖν καὶ πετρέων, Κύρνε, κατ' ἠλιβάτων.
181 τεθνάμεναι, φίλε Κύρνε, πενιχρῷ βέλτερον ἀνδρί,
182   ἢ ζώειν χαλεπῇ τειρόμενον πενίῃ.

Vita.

Ego, Fridericus Albertus Lueneburg, natus sum anno MDCCCLXIII Regiomonti patre Carolo, matre Paulina e gente Sachrig. Fidem profiteor evangelicam. Frequentavi per undecim annos collegium Fridericianum, deinde, maturitatis testimonio accepto, die XXIV mensis Aprilis in numerum civium Academicorum Albertinae receptus, ut philologica studia exercerem, per quinque annos audivi scholas professorum Dehio, Friedlaender, Hirschfeld, Jeep, Jordan (†), Ludwich, Ruehl, Schade, Schubert, Thiele, Walter, quibus omnibus summam semper habebo gratiam. Per ter sex menses Proseminarii et per quinquies sex menses Seminarii Regii Philologici exercitationibus socius ordinarius adfui. Examen rigorosum absolvi die XXI mensis Februarii MDCCCLXXXIIX.